



N 50

N 7275



Dział A  
Znak 05  
Nr inw. 1013

Dział \_\_\_\_\_

Znak \_\_\_\_\_

Nr inw. 1740

N:197.

ANAGOGIA  
CÆLESTIS, +  
SIVE

Sublimiores Cordis Deum  
quærentis affectus.

Ex ærario divinæ Paginæ, ac SS. Patrum, inter meditandum, deprompti;  
SANCTISSIMÆ, AC INDIVIDVÆ

TRINITATI  
SACRI;

A U T H O R E  
ANTONIO MARIA BONUCCI  
Societatis Jesu.

Ad Regiam Celsitudinem  
SERENISSIMI MAGNI HETRVRIÆ

D U C I S.

Editio secunda.

Bibliotheca Schol. Beatae  
Mariae Immaculatae



ROMÆ, M.DCC.XVI.

Ex Typrographia Komarek  
Superiorum permisu.



695  
3083

Augustissimæ , atque ineffabili

# TRINITATI

UNI DEO, ET TRINO.

Si quæratis, quærite : convertimini,  
& venite . *Isa. 21. 12.*

In simplicitate cordis quærite illum.  
*Sap. 1. 1.* Ubi S. Dorotheus (*doct. 4.*)  
hæc habet : Si quis querat Deum , Dei-  
que voluntatem simpliciter , dabit illi  
Deus etiam puerum , qui eum doceat , si  
doctor desit , ne ille labatur ; si simu-  
latè quis querat Deum , Deus vicissim  
dabit ei simulatum doctorem , qui eum  
in errorem , & laqueum inducat .



IBI, o Trinitas  
Una, & Tri-  
na Unitas of-  
fero , hunc  
Unum , imo  
ex asse totum Tuum Li-  
bellum . A te incœpit , Ti-  
bi definit . Tuus est , quia  
omnia mea tua sunt , &  
tua mea sunt . Tuus est ,  
Tibique redditus , à quo  
omne

omne datum optimum , &  
omne donum perfectum ,  
descendens à te fonte lu-  
minum, atque ad Te ascen-  
dens lumen illuminans .  
Tuus & ego sum , qui non  
essem , si à Te non essem ,  
Fons , Flumen , Irrigatio .  
Tuus , Tibique me to-  
tum ref ero acceptum ,  
è qua Una Omnia , per  
quam Unam Omnia , in  
qua Una Omnia ; Vivens  
Vita , Vita à Vivente , Vi-  
ventiū Vivificatrix . Tuus  
sum ego , ex quo signatum  
est super me trilucens lu-  
men Unius Vultus Tui .  
Tuus , ubi trifaciali signa-

culo

culo Unius Bonitatis tuæ  
condecorasti me . Tuus ab  
incunabulis , ubi in Uno  
nomine Trismegistæ Hy-  
postasis tuæ baptizatus fui.  
Tuus à primævo mentis  
exercitio , ubi in Te Fide  
credi , in Te Spe me pro-  
jeci , in Te Charitate re-  
quievi . Tuus ab adoles-  
centi æstate , ubi , tuo af-  
fluente ductu , per suavis-  
simum Religiosæ Profes-  
sionis jugum at triplicem  
amoris funiculum me tibi  
volens , gaudensque devo-  
vi . Tuus à Juventute ,  
Ubi Sacerdos , tuâ Unctio-  
ne suavissima delibutus ,

a 3

Vnam

Unam, & ter Optimam  
hostiam Christi Sacerdotis  
suæ Victimæ, & Victimæ  
sui Sacerdotii Tibi quoti-  
die immolavi. Tuus, ubi  
irruens Spiritus Vehemens  
tuus ad annunciatum  
mansuetis, ac portandum  
nomen Tuum coram gen-  
tibus misisti me. Tuus  
præsertim ab illo novissi-  
mo Tempore, ex quo vo-  
cans me ad me ipsum in  
Cellæ solitudinem secessi,  
ubi ab ore Tuo pendulus  
hæc Verba Vitæ suscepi.  
Tuus, ex quo auram, ac  
vanas confabulationes fu-  
gere docuisti me, ut sapien-  
tiis

tiis, ac salubriis inten-  
dam Tibi Uni, à qua bea-  
ta sunt omnia, quæcum-  
que beata fuere, sunt,  
atque erunt; ut dicam im-  
postorum: Unam petii à  
Domino hanc requiram;  
ut Tuæ placeam Majestati.  
Hæc omnia Tua cum sint,  
Tibi Uni inscripsisse sum  
gavisus, quæ omnium Af-  
fectuum meorum Alpha-  
es, & Omega.

Ad Regiam Celsitudinem

MAGNI HETRURIAE  
D U C I S

COSMÆ III.



ANC Cæle-  
stem Anago-  
giā dum Deo  
in Exercitiis  
Spiritualibus

secundūm laudabilem No-  
stræ Societatis morē, quon-  
dam in Brasilia vacarem,  
in meum peculiariter usum

cons-

conscripteram. Nonnulli  
legerunt amici, cobortati-  
que sunt, ut eam publici ju-  
ris facerem. Libens con-  
fensi; atque ad tuæ Regiæ  
Celsitudinis magnam Ani-  
mam, spiritu principali di-  
vinitus præditam, fidenter  
transmitto; ut si qua utili-  
tas ex hac mea qualicum-  
que lucubratione peti po-  
test, ea præcipue in Tuam  
Regiam Celsitudinem, va-  
riis dissentam negotiis &  
curis, divino afflante Nu-  
mine, redundet. Neque,  
quod exiguis sit Libellus,  
quem in observantia meæ  
pignus, & in ingentiū erga

a s

me

me beneficiorum tuorum  
monumentum, Regiae Tuæ  
Celsitudini defero, minus  
gratum ingenitæ benigni-  
tati tuæ futurum esse confi-  
do. Libri siquidem non ex  
molis magnitudine, sed ex  
argumenti majestate, atque  
fontibus, unde bausti sunt,  
prudentum iudicio, pensan-  
tur. Hic verò Libellus,  
quotus ille est, è divina u-  
triusqne Testamenti Scrip-  
ptura, Sanctorumque Pa-  
trum sententiis desumptus  
omnino est. Adeò ut illum  
egomet respiciam, ut rem  
alienam, ex eoque solum-  
modò meam, quòd ordinem

qu. n.

quendam ex me ipsi contu-  
lerim. Excipe igitur, Se-  
renissime Princeps, inter  
alios, quos frequenter ma-  
nu versas, pios Codices  
hanc etiam Anagogiam:  
Ut, dum ad interiora,  solidæ Spiritus gaudia stu-  
dium omne tuum  inten-  
tionem, sicuti solemne tibi  
diù nocturne est, confers,  
in hoc item Opusculo repe-  
rias Denm, quem tantope-  
re quæris, inventumqne si-  
nu tuo nunquam amissurus  
complectaris, dicasque sem-  
per cum Regio Vate: mihi  
autem adhærere Deo bo-  
num est, ponere in Domi-



no Deo spem meam. Quod  
unum necessarium, verum,  
summum, æternumque Bo-  
num, ut assequaris, à Deo,  
bonorum omnium Largito-  
re, Tibi quotidie, inter sa-  
crificandum, exopto. Rome  
14. Decembri 1716.

Serenissimæ ac Regiæ Celsitudinis Tuæ  
Humillimus Servus, & Cliens  
Antonius Maria Bonucci.

PIO

## PIO LECTORI.

**C**oactum Habes in hoc Li-  
bello quicquid longis vo-  
luminibus docuere Asce-  
ticæ, ac Mysticæ disciplinæ an-  
tesignani. Hic ad triplicem Chri-  
stianæ Perfectionis viam aditus  
perfacili negotio aperitur, non  
per verborum anfractus, sed per  
cordis affectus; qui, teste Augu-  
stino, velut animæ pedes, potenti  
quâdam superni caloris vi sunt  
prædicti; & expurgari simul, il-  
luminari, atque accendi se sen-  
tiunt ab eo qui *Ignis consumens*,  
illuminans, atque dulciter ac-  
cendens est. Latini sermonis  
munditiem, atque castigatores  
dicendi leges ultrò negligimus,  
unum Animarum fructum & pu-  
ritatem spectantes: divinique  
Amoris ingenio indulgemus, qui  
sicut diligi sine modo, ita & ex-  
plicari sine locutionis fuco desi-  
derat.

derat. Si cæteroquin cum incompta rerum tractatione negotium es habiturus, id unum brevitati scriptio[n]is debebis si qui in hæc paucissima capita incideris, quod ad ultimam usque periodum non lassus pervenies. Si quid verò in intimis humani Cordis Deo penitus anhelantis exprimendis affectibus peccaverim, Veniam libentissimè imperies, quandoquidem Cordis Unus tantum ac Trinus Deus est occultissimus scrutator.

SE-

## SERIES CAPITUM.

- CAP.I. **C**or humanum petit trahi à Deo, ut Deum querat. pag. i
- CAP.II. Cor humanum deplorat translatæ Vitæ miseras. 5
- CAP. III. Cor humanum agnoscit creatu[rum] bæc non esse Bonum quod querit. 10
- CAP.IV. Cor humanum decernit Deum supra creatu[rum] omnia Unum querere. 15
- CAP. V. Cor humanum rogar de loco, tempore, & modo querendi Deum, & inventum amandi. 19
- CAP. VI. Cor humanum intra se inventit locum, ubi Deus querendus. 23
- CAP.VII. Cor humanum docetur, tempus querendi Deum esse omne tempus præsens. 33
- CAP. VIII. Cor humanum indicat rationes quibus querendus est Deus hodie, & non cras. 38
- CAP.IX. Cor humanum desiderat insinenter Deum querere. 42
- CAP.X. Cor humanum vellet, si fieri posset, Deum querere eo studio, quo Ange

- Angeli, B. Virgo, & Christus Dominus Deum quæsivere.* 53  
**CAP.XI.** *Cor humanum humili Confessione infirmitatis suæ Deum querit.* 57  
**CAP.XII.** *Cor humanum integrâ suimet mortificatione Deum querit.* 62  
**CAP.XIII.** *Cor humanum piâ librorum lectio Deum querit.* 70  
**CAP.XIV.** *Cor humanum Oratione assiduâ Deum querit.* 77  
**CAP.XV.** *Cor humanum sanctâ Collocutione Deum querit.* 84  
**CAP.XVI.** *Cor humanum silentio, ac recollectione Animi frequenti Deum suum querit.* 89  
**CAP.XVII.** *Cor humanum affert uhim, eumque potissimum Dei querendi modum, intentionem videlicet puram.* 94  
**CAP.ULT.**, seu Libelli Scopus. *Cor humanum innuit Artem Deum inventum arandi*. 99

MI-

## MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

*Præpositus Generalis Societatis Iesu:*

**C**Um Librum, cui titulus, *Anaglogia Cœlestis, sive sublimiores Cordis Deum querentis affectus*, à P. Antonio Maria Bonucci nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis denud mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ has literas manu nostra subscriptas; & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 8. Decembris 1716.

*Michael Angelus Tamburinus.*



Imp.

# BRONZE MIRRORS

*Imprimatur  
Si videbitur Reverendissimo Patri Ma-  
gistro Sacri Palatii Apostolici.  
Dominicus de Zaulis Episc.  
Verul. Vicefg.*

*Imprimatur*  
Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Prædic.  
Sac. Apost. Pal. Mag.

Reim-

*Reimprimatur  
Si videbitur Reverendissimo Patri Ma-  
gistro Sacri Palatii Apostolici.  
N.Card. Caracciolum Vicefsg.*

*Reimprimatur*  
Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædic. Sac.  
Apost. Pal. Mag.

ADHORTATIO  
AD COR HUMANUM

*Ut Unum Deum quærat.*

EPIGRAMMA.

**S**anguinis Emporium , Venarū nobile ceniru,  
Cor , varii motus , perpetuque rota .  
Consilii custos , præcelsi pectoris altor ,  
Deliciae Superum , Numinis ampla domus .  
Degener in terris falsis quid volveris umbris ?  
Quid sequeris Ventos , somnia quidque capis ?  
Insidiosa nimis fugias mendacia : sursum  
Exoptata dies te manet Vna quies .  
Ille tuos valeat effrānos compescere fluctus ,  
Qui marii ingluviē , monstraque sœva premit .  
Ille tuos explere sinus , quos condidit Vnus ;  
Sydera , quique fretum transfilii , ille potest .  
Vnum quære Deum ; nam si Tu sufficis Illi  
Præ cunctis , Cur non sufficit Ille Tibi ?

ANAGOGIA  
CÆLESTIS,

*Seu Cordis Deum quæ-  
rentis Affectus.*

CAPUT PRIMUM.

Cor humanum petit trahi à  
Deo , ut Deum quærat .



OQUAR ad Domi-  
num meum , cum sim  
pulvis , & cinis ; lo-  
quar umbra ad lu-  
cem , loquar mors ad  
vitam , loquar op-  
probrium hominum

ad gloriam Angelorum , loquar abje-  
ctio plebis ad Regem Cœli ; loquar im-  
mundus ad munditiem , deformis ad  
pulchritudinem ; miser ad misericor-  
dem , infelix ad Beatum , infirmus ad  
medicum , pauper ad divitem , indi-

A gus ,

gus , ad nullius egentem , pusillus ad magnum , Scelestus ad Sanctum , nihil ad Totum , peccatum ad justitiam , offensor ad offensum . Loquar quærendo , ut quærens inveniam , quem non quærerem , nisi antea ab illo inveniret . Erravi enim sicut Ovis quæ perisit : quære servum tuum , ut à Te quæsusitus , & inventus & quæram , & inveniam Te . Ah quando dicetur mihi : Salus tua ego sum ! Quando exaudiam ; Ecce ego , quia vocasti me ! Quando sentiam castellus despabilis odorem præsentiae Tuæ ! Quando curram post odorem unguentorum tuorum ! Trahe me post Te ; quia si Poetæ dicere licuit , trahit sua quemque Voluptas , cur non mihi licebit dicere , Trahe me Voluptas animæ meæ ? Trahat me , non necessitas sed Voluptas , non obligatio , sed delectatio ; Trahat me Veritatis , & justitiae tuæ mira jucunditas , & jucunda suavitas ; nam si habent corporis sensus , suas , à quibus trahuntur , Voluptates , cur animus deseretur à Voluptatibus suis ? Trahe me igitur ad Te , Deus delectatio mea , non sicut invitus aliquis trahitur , sed quemadmodum cœ-

cus,

cus , aut fessus cum trahitur , non contristatur ; imò potius trahenti , quasi se sublevanti , & adjuvanti gratias agit . Trahe me tractu illo efficaci , & fortis , quo alumnus trahitur post nutricem , quò vel Patrem Filius , vel Filia sequitur genitricem : Imò Trahe me tractu illo , quo diligens in dilectum , eò gratus , quò suavius defatiscit , dum obtinere desiderat , & desiderare insatiabiliter concupiscit . Trahe me , post Te curremus ; post Te inquam , vel ad patibula curremus , quia non quærimus quò abeamus , sed quem habeamus . Nec gehennam horreo , si Jesus adsit in Flamma , si inter frementes dæmones mihi subrideat . Rubus , & quidem flagrans , visio magna est , & expetendum spectaculum , si insit mihi in Spinis , quem quæro , quem desidero , Deus . Fasciculus myrræ , si Dilectum meum includat , inter ubera locabitur . Lectulus mihi cum Christo communis , erit vel inter spinas floridus , quia ubi Christus , ibi delitiæ . Trahe igitur me post Te , quem nisi traxeris non curret post Te . Trahas torpem , ut redas currentem , trahas peccantem , ut

A 2

red-

## 4 ANAGOGIA

reddas Pœnitentem, trahas fugientem,  
ut reddas insequentem, trahas timen-  
tem ut reddas amantem, trahas in tot  
mala distractum, ut reddas in Te Uno,  
Summo, ac æterno Bono recollectum;  
Trahas in Tot mutabiles Vanitatum  
formas mutatum, ut reddas in Te una  
Veritatis forma defixum, immersum,  
ac penitus transformatum. Trahe me,  
si non in funiculis Adæ, & in Vinculis  
Charitatis, faltem in ferreis timoris  
tui catenis, ut tandem à T'e fortiter,  
ac suaviter attractus cognoscam, quod  
non est qui Voluntati Tuæ possit resi-  
stere, durumque nobis est de manu Tua  
evadere, ac dicam cum illo felicitèr per  
Te devicto: Domine, quid me vis fa-  
cere? Jam exaltatus es à Terra, Trahe  
igitur omnia mea, meque ipsum ad Te;  
quia nihil mihi proderit, si traxeris  
omnia ad Te, me mihi relicto. Trahe  
me ad Te, & Pater Tuus ad se, quia  
nemo venit ad Te, nisi Pater Tuus tra-  
xerit eum. Quis similis Tui in fortibus  
Domine; fac me igitur Unum Tecum,  
sicut Tu, & Pater Unum estis; Trahe  
me, obsecro per vulnera Tua ad Te,  
& sufficit mihi.

CA-

## CÆLESTIS. 5

## CAPUT II.

*Cor humanum deplorat transfa-  
Etæ Vitæ miserias.*

**Q**uis dabit Capiti meo aquas, &  
oculis meis fontem lacryma-  
rum, & plorabo die, ac no-  
te imperfectam animam meam? Quis  
mihi det, ut lavem per singulas noctes  
lectum meum, lacrymis meis stratum  
meum rigem, & recogitem tibi Deus  
meus omnes annos meos in amaritudi-  
ne animæ meæ? Quis mihi tribuat, ut  
Vitam meam pessimam annuntiem Ti-  
bi, & ponam lacrymas meas in conspe-  
ctu Tuo? Ciba me Domine pane lacry-  
marum, & potum da mihi in lacrymis  
sine mensura. Exitus aquarum dedu-  
cant oculi mei, quia non custodierunt  
legem tuam. Educ de cordis mei duri-  
tia lacrymas compunctionis, uti sitien-  
ti populo fontem viventis aquæ quon-  
dam eduxisti de Petra durissima; qui-  
bus peccata mea plangere, debita flam-  
marum incendia extinguere, & remis-

A 3 sio-

## 6 ANAGOGIA

sionem omnium delictorum meorum ;  
 Te miserante, merear accipere . Lacrymas , inquam Compunctionis concede mihi , Domine , quas Unus , & præpotens Spiritus Tuus moveare solet , postulare nos faciens veniam , gemitibus inenarrabilibus . Nam lacrymarum , quæ ex tenera , & molli natura procedunt , nulla ratio habenda est , nam ut plurimum steriles sunt , & citè arescunt . Quæ verò astu dæmonis commoventis humores , & Cor emollientis , excitantur , eò tendunt , ut ad hypocrism , & superbiam , ac tandem ad extremam perniciem inducant . Da mihi itaque lacrymas Salutis , & veræ contritionis , quæ Vinum sunt Angelorum , quæ inebriant , ac Cœlesti ardore replent , quæ baptismatis sunt vicariae , quæ Te vincunt invincibilem , & ligant Omnipotentem ; quæ ante aspectum judicij Tui intrant ; quicquid petunt , obtinent , & accusantibus inimicis silentium imponunt . Exite lacrymæ jam pridem extre cupientes , aperiantur Cataæ miseri capitis mei , & erumpant fontes aquarum . Deficiat in dolore Vita mea , & anni mei in gemitibus , quia ini-

## CÆLESTIS.

7

iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum , & sicut onus grave , gravatae sunt super me . Peccavi Domine , peccavi ; plangam igitur calamitatem meam . Lugete me montes , & colles ; lugete me flumina , & maria ; lugete me bestiæ Sylvarum , reptilia terræ , & volucres Cæli ; quoniam Vos quidem servitis Deo , legesque vobis ab illo impositas jugiter custoditis . Ego verò patetum meum prævaricatus sum , & amantissimo Patri me Filium prorsus degenerem exhibui . Ubi nunc es vanitas mea , superbia mea ? Quòd perrexistis delectationes Carnis meæ , quid profuistis mihi ? Quem fructum nunc habeo in his , quibus tantopere erubescō ? Sint modo mæror , & acerbus luctus infatigabiles tortores Juventutis , & senectutis meæ . Utinam , Utinam ita sit , opto , oro , desidero , ut ita sit . Si enim non sum dignus oculos in cælum levando orare ; certè non sum indignus eos vel plorando fatigare . Si confunditur mens mea orare pudore conscientiae , æquum est , ut confundatur turbine luctuosi doloris , & tristitiae . Si timet exhiberi ante conspe-

A 4 Etum

## 8 ANAGOGIA

Etum Tuum, justum est, ut habeat ante conspectum suum tormenta scele-  
ris sui. Cogitet igitur, & recogitet Cor meum, quid fecit, quid meruit. Cogitem, Deus meus, quò abii cæcus, non currens ad Te. Quò perveni non perveniens ad Te. Unde discessi disce-  
dens à Te? Unde aberravi aberrans à Te? Discessi à meo ultimo, ac Unico fine discedens, à Te: aberravi à Via, à Veritate, à Vita aberrans à Te. Abii in mille pericula abiens à Te Vera Se-  
curitas, Vera Pax, Sincera Suavitas, liquidissima, ac purissima quies. Per-  
veni in mille scopulos, ac naufragia non perveniens ad Te, Portus Animæ meæ, ac Paradisus voluptatis, totiusque consolationis Pater. Tenebras Vo-  
cavi lucem, perturbationes vocavi pa-  
cem, pericula vocavi lusum, detrimen-  
ta vocavi lucrum, stercora arbitratus sum aurum, volutabra putavi deli-  
cium, interitum, reputavi pro vita, ignominiam habui pro honore, servi-  
tium pro libertate, errorem pro regu-  
la, insipientiam pro sapientia. Quid fatear miserabilis, dum talia fateor.  
Confitebor adversum me injustitiam  
meam,

## CÆLESTIS.

9

meam, deserens te, justitia mea: Quid concludam vermis, & non homo; dum tot, ac tantis miseriis repleta est vita mortalis hujus miserrimi hominis? Er-  
go erravimus à lumine rationis, erra-  
vimus insensati, erravimus ignoran-  
tes. In firmamento Religionis adhæ-  
sit in terra venter meus, conglutinata  
est luto anima mea. Qui ambulabam  
in crocēs; amplexatus sum stercora,  
qui mammilla regum laetabar, & divi-  
nitatis Tuæ sempiternâ fruitione re-  
plebar, bibens olim de Te fonte aquæ  
vivæ salientis in Vitam æternam; ef-  
fodi postmodum mihi aliunde cisternas  
dissipatas, quæ continere non valent  
aqua, nisi amarissimæ perturbationis.  
Putredini dixi, cibus meus es electus,  
& esca mea, vermis. In genera-  
tione quærentium Dominum quæsivi ty-  
rannum Cordis mei; in domo Patris  
mei, ubi multi abundant panibus, cu-  
piens ego saturari, & non valens im-  
pleri siliquis porcorum, fame peri;  
famem, inquam, passus sum, ut Canis,  
& circuibam civitatem, quærens pa-  
cem, & panem, & non inveniens, nisi  
panam, & petram; emendicans fontem

A 5

dul-

## 10 ANAGOGIA

dulcedinis, jucunditatis, & exultationis ab amarissimo totius fastidii occano : & non recipiens nisi absynthium; inebrando me Uvâ fellis, & Botri amarissimi.

## C A P U T III.

*Cor humanum agnoscit creata  
hæc non esse Bonum quod  
quærit.*

**E**T forsitan omnia hæc inania atque ludrica prætereuntis mundis figura menta, forsitan omnia hæc fallacia, atque dolosa maligni seculi deliria non uno semper ore me docebant: non sumus nos Deus tuus; non sumus nos Ubertas illa Domus Dei; non sumus nos Torrens ille limpidissimæ Voluptatis; non sumus nos Satietas illa Sanctorum; non sumus nos gaudium illud sempiternum; non sumus nos merces illa magna nimis; non sumus nos fors illa, & merces Sanctorum, seu Corona militum; non sumus nos

cur-

## CÆLESTIS. I

curentium illud immarcescibile bravium; non sumus nos sublimissimum illud gloriæ pondus. Quære supra nos Deum Tuum, & invenies illam Uberitatem, quæ est supra omnem defectum. Quære supra nos Deum Tuum, & invenies illum Torrentem Voluptatis, quæ est supra omne flumen Babylonie, & supra omnem siccitatem. Quære supra nos Deum Tuum, & invenies illum satietatem, quæ est supra omnem esuriem. Quære supra nos Deum Tuū, & invenies illud gaudium, quod est supra omnem mæorem. Quære supra nos Deum Tuum, & invenies illum mercedem, quæ est supra omnem laborem. Quære supra nos Deum Tuum, & invenies illum sortem, & coronam, quæ est supra omne infortunium, & dedecus. Quære supra nos Deum Tuum, & invenies illud bravium, quod est supra omnem pugnam, & cursum. Quære supra nos Deum Tuum, & invenies illud pondus, quod est supra omne solatium, & levamen. Non non sumus, uti ingenuè fatemur, Deus Tuus. Quia cum simus res deteriores, quam Tu, quomodo possumus esse

A 6 Deus

Deus Tuus , qui Unus , cùm sit melior quam Tu , totum te potest facere meliorem . Fieri enim non potest , ut res deterior faciat te meliorem . Homo es ? Deterius est quicquid quæris , & cupis , extra Deum , quo beatus esse desideras . Aurum , argentum , honor , voluptas , & quælibet corpora , seu umbræ , quibus inhias acquirendis , possidendis , fruendis , inferiora sunt te . Constituit enim te Deus super opera manum suarum , & omnia subjecit pedibus tuis tamquam lutum platerum , & maris arenam exiguum . Nam sicut corporis tui bonum animus tuus est , quia corpore tuo melior est , ita cum quæris bonum tuum , illud supra nos quære , quod melius est animo tuo . Et quid erit obsecro nisi Deus Tuus ? Deus igitur Tuus est illud pondus suave , quod debes quærere ; nos sumus solatium , & levamen aggravans , quod debes fugere . Deus Tuus est illud bravium , quod debes persequi ; nos sumus pugna , & cursus per quem debes transire . Deus Deus Tuus est illa fors , & corona , quæ debet super te cadere ; nos sumus infortunium , & dedecus , quod debes evitare . Deus

Deus Tuus est illa merces , quâ debes ditescere ; nos sumus regio sterilitatis , & egestatis . Deus Deus Tuus est illud gaudium , quod te debet reficere , & in quod debes intrare ; nos sumus mæror qui te potest solum confidere , & Tibi omnino nunquam deficere . Deus Deus Tuus est illa satietas , quæ Te debet implere ; nos sumus esuries , quæ te potest evacuare . Deus Deus Tuus est ille Torrens veræ voluptatis , qui te debet inebriare ; nos sumus Siccitas quæ te potest arefacere . Deus Deus Tuus est illa ubertas , quæ te debet impinguare ; nos sumus defectus qui te potest extenuare , atque in pulverem mortis deducere . Velis te igitur ab in veteratis erroribus liberare , quod utique facies , si nos quærendi finem imponas , & Unum Deum Tuum quærere incipias , si cui sis natus aliquando per videas ; si ad quem tendas tandem agnoscas ; hæc enim pravitatis causa , ignoratio finis . Dedisti hucusque nobis annos totius vitæ tuæ : Des imposterum paucula , quæ Tibi supersunt , momenta Deo Tuo . Vivas Deo pau-

lulum ,

Iulum, qui seculo vixisti totus. Si in hujus brevissimæ vitæ ergastulo adhuc peregrinans à Domino velis Deum quærere, quo invento beatus eris, utendum tibi est hoc mundo, non fruendum? sicuti qui ad patriam terrestrem pergit anhelantes, utuntur, non stuantur per Viam Vehiculis, aut navibus, quibus asportantur; adjuvantur, non detinentur Viarum, quas transeunt, amœnitatibus. Ita est, Domine Deus meus. Laudent Te Creaturæ Tuæ, per quas illuminasti hunc pauperrimum Servum tuum. Da igitur, Domine, ut videam Te. Ecce Cæcus ante Te, lumen oculorum meorum, qui non aurum, non honores, non delicias quærerit. Parvipendit extra lucem aliquid quærere. Quia etsi habere cæcus quodlibet possem, sine luce tamen videre, quod haberem, non possem.

CA-

## CAPUT IV.

*Cor humanum decernit Deum  
supra creatuæ omnia Unum  
quærere.*

**Q**uid itaque amplius detineris anima mea? Quid adhuc inter tot nugas nugarum, inter tot vanitates vanitatum obvolveris? Surge quæ dormis, & exurge à mortuis. Sat risui ludisque datum: sat mundo, carnique viximus. Excutere de cæno captiva filia Syon. Indic bella peccatis; secura de victoria, certa de triumpho, quia nec arma cælestia hostes poterunt superare terreni, nec divino regi adversa poterunt contrarie mundana. Poterit enim fieri, ut si agas, anima mea, pro tua tenuitate, quæ possis pro Deo, Deus agat pro te quæ tu non possis. Vix jam habet penes te mundus, quo fallat. Periit imago illa rerum ad decipiendum usque decora. Prius te decipere vero cupiebat fulgore, nec poterat; prope jam non

## 16 ANAGOGIA

non valet, & ipsa te falsa ostentatione corrumpere. Solidis bonis carebat: ecce deficit etiam caducis. Ruinæ illius verba ejus sunt; ipsa ruinæ prædicant, quod deficit, & amandus non est: Solus Deus permanet, & amandus ex toto est. Convertere igitur Anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, præveniens te in benedictionibus dulcedinis, & vocans te de tenebris in admirabile lumen suum. Jam in omnibus requiem quæfisti, & nunquam invenisti; in hæreditate Domini morare, & requiem invenies. Exalta vocem tuam, clama, ne cesses, voca vocantem te, quærentem te: Dic cum gemitu inenarrabili Cordis tui, dic cum viva Fide, dic cum firmissima Spe, dic cum ardentissima Charitate: Adjuva me Domine Deus meus, & redde mihi lætitiam salutaris tui, ac Spiritu principali confirma me, ut nunc & semper quærar Te, & quærendo satier de Te. Tribue mihi ut quærat Te cor meum, ut quærat Te lingua mea, ut quærant Te sensus, ac cogitationes meæ. Dilata mentem meam, attolle intuitum spiritus

## CÆLESTIS. 17

tus mei, ut non solum rapidâ, sed assiduâ exercitatione inhæream Tibi Uni, qui es laus Cordium Te videntium, & gaudium animarum Te amantium. Dissolve me à laquo, quem statuerunt mihi inimici mei, & à scandalis operantium iniquitatem. Fac me rogo amore, & desiderio Te quærendi deponere onus carnalium cupiditatum, ut liber ab omni impedimento exclamem: O Deus Ubertas mea, quando sicut adipe, & pinguedine replebis me de Te, evacuans de malitia, implens de gratia? O Deus perennis Torrens lætitiae meæ, quando potabis me de Te, à meis abstergens maculis, & tuis fæcundans virtutibus. O Deus satietas plena, ac refocillatio indeficiens animæ meæ, quando satiabis me de Te auferens nociva, porrigen salutaria? O Deus exultatio mentis meæ, quando læticabis me de Te temperans lacrymas absentie meæ suavissimo rore præsentie tue? O Deus merces superfluens, & mensura delectionis, & solatii veri confertissima, allice me, abstrahens ab uberribus novercae voluptatis, & apponens ad ubera suavitatis, ac matris meæ miferi-

sericordiae Tuæ? O Deus sors, & corona militiae meæ esto mihi pars, & portio hæreditatis & calicis mei, non solum in terra viventium, & exultantium de Te, & in Te, sed & in Valle lacrymarum, & lacrymantium longe abs Te! O Deus, bravum præliantibus, & currentibus propositum, admove stimulos ut curram, infere gratiam, ut Te apprehendam! O Deus pondus meum, Amor meus eò ferar, quocumque ferar! O Deus, ò Deus, ò Deus! sufficias Tu solus mihi, qui solus sufficiis Tibi, cui si Tu non sufficeres, Deus non es! Quæram Te, & amplius quæram, ut quærendo Te, magis, & magis inveniam Te, & inveniendo Te, magis, & magis amittam me: jussisti enim, & sic est, ut qui perdiderit se, inveniat Te; & qui magis perdiderit se, magis inveniat Te. O felix jactura, per quam invenitur vera fruitio! O beata amissio, per quam invenitur, & possidetur vera beatitas, & beata Veritas! O jucunda jactura, per quam tuæ claritatis usurâ perfui-  
mur! O verè beati, ò terque, quaterque Beati qui exuerunt se, & omnino exie-

exierunt à se, ut induerent Filium Tuum Dominum nostrum Jesum, & ingredenterentur ad Te, & in Te, à quo, & in quo sunt omnia! Da, ut relinquentis omnia, Tibi festinem, Tibi inhæream, Tibi soli intendam, ut Tu mihi solus sis omnia, & omne bonum meum.

## CAPUT V.

*Cor humanum rogat de loco,  
tempore, modo quærendi  
Deum, inventumque  
amandi.*

**S**ed dum hæc gemebundus, & salubriter mærens enuncio, secundum multitudinem miserationum tuarum, omnium iniquitatum mearum obliviscens doce me locum, ubi Te possim quærendo invenire, & inveniendo amare. Scio equidem, quod lucem habitas inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre potest; non enim videbit Te homo, & vivet. Et quomodo ego misellus, at tene-

tenebriscosus Peccator , qui in tenebris , & in umbra mortis sedeo ad Te levare oculos meos audebo , qui non sum dignus aspicere altitudinem Cæli , in quo habitas gloriosus ? Doce igitur viam per quam ambulem ad Te non declinans neque ad dexteram , neque ad sinistram , sed incedens per viam rectam , hoc est , per Filium tuum , qui , cùm sit Via , ducat nos ad locum salutis , & pacuæ ; nemo enim venit ad Patrem , nisi per Filium . Doce me simul Tempus acceptable , quo tandem inveniendo Te , nunquam imposterum amittam Te . Multi namque inveniunt , quod querunt , sed quia non querunt in Tempore opportuno , citò amittunt quod invenerunt . Doce me modum dignè querendi Te , dirigens gressus meos in semitis Tuis , ne moveantur vestigia mea . Doce me demum artem inventum amandi , & amplectendi , ut possim cum illa Anima Tibi dilecta sœpius ingeminare : Inveni quem diligit anima mea , tenui eum , nec dimittam . Vias tuas Domine , iterum , atque iterum rogo , demonstra mihi , & semitas tuas edoce me . Utinam diri-

gan-

gantur Viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas ! Disciplina tua ipsa me doceat , & visitatio descendens in me gratiæ tuae custodiat spiritum meum . Mitte Angelum Tuum de Cælo , qui me protegat , & sanum ducat ad Te : Angelis enim Tuis mandasti de me , ut custodiant me in omnibus vijs meis : in manibus ut portent me , ne unquam offendam ad lapidem pedem meum . Tu , qui spirituum ponderator es Domine , qui appendis corda hominum in statera æquitatis Tuae , qui facis Ventis pondus , & aquas appendis in mensura ; bonitatem , & disciplinam , scientiam , & discretionem doce me , ut videam quid acceptum sit coram Te , quid rectum , & quid tibi conforme : ne adhæreat mihi cor pravum , & obliquum , quod nunquam erit secundum cor Tuum : quia sicuti distortum lignum si ponam in pavimento æquali non collocatur , non compaginatur , non adjungitur ; semper agitatur , & nutat , non quia inæquale est ubi posui , sed quia distortum est quod posui ; ita & cor meum , quandiu pravum est , & distortum , non potest collinearri restitu-

## 22 ANAGOGIA

Altitudini Tuæ, non potest in Te collocari, ut hæreat Tibi, & fiat rectum. Et tandiù distortum erit, quandiu non se corrigat ad Te, & Te potius velit distorquere ad se. Quid ergo dicis Deus meus sursum in altis habitans? Tortus es; æquus sum. Tu propendes ad iniqutatem, Ego justicias diligo, æquitatem videntur vultus meus. Si tu rectus es, sentires æquitatem meam. Quomodo ergo dirigetur, Deus meus, istud cor meum. tam durum, tam tortum? Durum frangatur, & tortum rectificetur. Sed quis hoc faciet, nisi Tu Deus cordis mei, qui nosti corda hominum; & non est qui consiliarius Tuus esse glorietur? Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Memento, quod si mandatis tuis in præteritum non obedivi, saltem credidi: signasti enim me signo Crucis, & condecorasti me charactere salutis, vocans me per fidem Unigeniti Filii Tui ad finum Ecclesiæ Tuæ, spes mea ab umeribus matris meæ. Recordare, Piissime misericordiarum Pater quod in Te projectus sum ex Utero, in quo in peccatis con-

ce-

## CÆLESTIS.

23

ceptus, & natus sum totus; donec ad ubera Sponsæ Tuæ translatus, in Virtutibus, ac Sanctis doctrinis enutritus fui. Intellectum igitur da mihi, & instrue me, in via hac, quæ gradiar, firma super me oculos Tuos. Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem Sapientiam, ut sciam quid desit mihi ut ex toto placeam Tibi, displicens Totus mihi, ut sciam quid rectum sit in oculis Tuis; non enim sicut viæ meæ viæ Tuæ, neque cogitationes Tuæ, sicut cogitationes meæ. Et est viæ, quæ videtur homini esse recta, novissima autem ejus dueunt ad mortem.

## CAPUT VI.

*Cor humanum intra se inventum locum, ubi Deus querendus.*

A T Ubi Te quæram, Deus meus,  
ut ibi te inveniam? Ubi te in  
toto corde meo exquiram, dul-  
cedo ineffabilis animæ meæ, ut ibi te  
ex

ex toto corde meo perstringam? Ubi apparebo ante faciem tuam, ut ibi sonet vox tua dulcis in auribus meis, & appareat mihi facies tua decora? Si inveni gratiam in oculis tuis, fac me videre faciem tuam. Tibi dixit cor meum: quæsivi, vultum tuum, Domine, requiram. Ne avertas faciem tuam à me, ne declines in ira à servo Tuo. Adiutor meus esto, ut inquiram te, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. Si enim me dereliqueris, quomodo Te non derelinquam? Si tu me despixeris, quomodo Te aspiciam? Dic mihi, quæso, Deus Cordis mei, dic mihi, obsecro, substantia mea Deus, dic mihi, Totum vitæ meæ, ubi habitas, ubi cubas in meridie gloriæ tuæ, qui ambulas super pennas ventorum, & nunquam fatigaris, qui sedes super Cherubim, & intueris abyssos, qui moves omnia, & Tu nunquam moreris? O Ubi beatissimum, quando Te attingam? O ubi desideratissimum, quando ad te perveniam? O ubi milles optatissimum, quando ero in Te, ut ibi sim cum eo, quem diligit Anima mea? Si ubi es Tu, Dominus meus,

illic

illic & minister Tuus erit, ostende mihi ubi es, ut illic sit iste parvulus Servus Tuus. Sed frustra interrogo de loco, ubi habitas, Deus meus, cum ubique habites. Ergo frustra spaciatus sum extra me quærens Te, Domine, cum Te haberem intra me. Frustra circuivi viros, & plateas hujus mundi, quærens Te; & non inveni, quia male quærebam foris, quod erat intus. Frustra misi nuncios omnes meos sensus exteiiores, ut quærerent Te; & non inveni, quia male quærebant, & ipsi, quod intraveras, nesciebant, Frustra etenim aliquid de Te invenire possem extra me, quod non haberem in me, ex quo quæsivi Te. Ubi enim quæsivi veritatem, ibi juveni Te Deum meum, ipsam Veritatem, quam ex quo quæsivi, verissimè inveni. Nonne in Te vivimus, movemur, & sumus? Cùm ergo quærerem Te, adhuc Tu manebas in me, & ego manebam in Te, sed quærebam Te extra me, quia oblitus eram me manere in Te. Tu, inquam, adhuc manebas in me, sed quia ego oblitus eram te, oblitus eram, & me, nec me inveniebam; quantò minus

B

Te?

Te? Væ oblivioni illi, in qua cæcus non videbam Te mihi præsentem, etiam cum longe fierem à Te. Væ tenebris illis, in quibus non fruebar Te, pulchritudo semper mihi præsens, semper mihi intima, vel cum fugerem extra Te. Ecce Tu intus eras, dicit servus Tuus Augustinus, & ego foris, & ibi Te quærebam, & in ista formosa, quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum eras, & ego tecum non eram. Ea me tenebant longe à Te, quæ si in Te non essent, omnino non essent. Vocasti, clamasti, & rupisti surditatem meam; coruscasti, splenduisti, & fugasti cæcitatem meam. Fragasti, & duxi spiritum, & anhelo Tibi. Gustavi, & vidi, quoniam suavis es Domine, & Spiritus Tuus super mel dulcis: esurio, & sitio, & edens Te, magis esurio Te, & bibens de Te fonte saliente in Vitam æternam, adhuc magis, & magis sitio Te. Tetigisti me, & exarsi in præsentiam Tuam, Dirupisti vincula mea, & ecce video Regnum tuum advenisse in me, & intra me dulciter esse. Posuisti Tabernaculum tuum in medio Cordis mei, & non abje-

abjecit me anima Tua; ambulabis mecum, & eris Deus meus, & ego ero servus Tuus. In hoc Tabernaculo cordis mei præsens semper mihi aderis, & me per desertum ambulante, tecum & Tu ambulabis, tantamque mei curam geres, ac si tecum corporaliter ambulares undequeaque, ita ut nullus hostibus me oppugnandi locus detur, cum circumquaque me protegens inambulles. Inambula igitur in anima mea, quasi in tabernaculo tuo, ut ex memoria in intellectum, inde in Voluntatem transeas per actus Fidei, Spei, & Charitatis. Est enim Anima, quæ Te, quærendo, invenit quasi Templum, imò Cælum, in quo Sol est intellectus, & zelus justitiae Tuæ, Luna fides, & continentia, astra reliquæ virtutes, quæ ex lumine præsentiæ Tuæ accenduntur, & illuminantur. Inambula tecum, tuâ, scilicet, gratiâ effice, ut eam de Virtute in Virtutem; & sicut in Tabernaculo ibatur in Sancta Sanctorum per Sanctum, videlicet, per altare thymiamatis, mensam, & candelabrum, ita facias Deus meus, ut eam in Cælum per Vitæ Sanctæ

## 28 ANAGOGIA

Etitatem , per jejunium , & Castitatem . Inambula mecum contemplatione , efficiens ut mente sequar Templum tua , hoc est , Christum Filium Tuum descendenter à Templo Cæli in templum , & Uterum Virginis , è Templo Virginis in stabulum , è stabulo in Templum Jerosolymæ , & inde in dominum Nazareth ; inde in Montem Calvariae , postea in infernum ; demum ascendentem in Cælum . Inambula mecum per quotidiam Corporis filii Tui Communionem , per quam vivam totus in Christo , imo Christus Totus in me , & sicut ille vivit per Te , & ex Te , ita & ego vivam per Christum , & ex Christo totus Christifer . Et quid dicam modò , dum video Deum inambulante in me , tanquam in Paradiſo voluptatis , & tanquam in Tabernaculo gloriæ suæ ? Quid dicam modò , dum innixum me video super Te Dilectum meum , & dilectum Filium Tuum ? Quid petam modò , quid clamabo ? Sileat caro , sileat mundus , sileant potestates , & Rectores tenebrarum , quia Dominus est , & adest Rex gloriæ . Qualis est iste , qui imperavit Ventis , & Mari , & fa-

## CÆLESTIS . 29

& facta est tranquillitas magna ? Quælis est hic cui Venti , & mare fluctuantis Animæ meæ ad nutum obediunt ? Hic , nisi esset à Te Deo Patre , non poterat hæc signa facere , quæ facit , auferens bella de medio Cordis mei ; & introducens me in pacem Tuam . Sileat & Anima levans se supra se . At : Heu mihi , Domine , quia incolatus meus prolongatus est , & licet Tu impelas me suavitate præsentia tuæ , licet Tu subleves me supra me ; cùm adhuc non inhæream Tibi ex omni me , & tui plenus omnino non sim , oueri mihi sum , quia vitæ præsentis miserrima conditio rursus omnes fluctus suos inducit super me , & contendunt lætitiae meæ flendæ cum lætandis mæroribus , & ex qua parte stet victoria , nescio . Hei mihi Domine , miserere mei ! Hci mihi , Domine , adjuva me ! Ecce vulnera mea non abscondo . Ecce quem amas , infirmatur . Medicus & magnus de Cælo medicus es ; æger , & magnus de terra æger sum . Misericors es , & misericordia tuæ non est finis ; miser sum , & miseriariū mearum non est numerus . Numquid non tentatio est

## 30 ANAGOGIA

vita humana super terram? Quis velit molestias, & difficultates tolerari jubes eas non amari. Nemo quod tolerat, amat, et si tolerare amat. Quamvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse quod toleret. Numquid non vicissitudo ac mutatio perpetua est Vita nostra? Interna enim jucunditas ex praesentiâ tuâ, quam paulò ante invenimus, procedens, statim mutatur & perditur, quia mens luminis claritate reverberata ad semet ipsam quantocumque revocatur, & ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabitur. Non enim transiens spiritus stat; sed vadit, & venit, quia supernam lucem nostra nobis contemplatio, & inhantibus aperit, & mox frigescitibus abscondit. In hac siquidem vita, ait Gregorius, quantumlibet virtute quis proficerit adhuc tamen corruptionis suæ stimulum sentit, quanto magis ego, qui nullâ adhuc virtute profeci, sed in dies magis omni vitio à via Tua deficio. Hinc, dum Te tenere, post multam inquisitionem, putabam, subito elaberis; & rursum lacrymanti, sanguenti, & insectanti occurrentis compre-

hen-

## CÆLESTIS. 31

hendi pateris; sed minimè retineris, dum subito iterum quasi è manibus evolas, & si novis institero precibus, & fletibus, iterum querendo, deituo reverteris, & voluntate labiorum meorum non fraudabis me; finens me invenisse Vultum Tuum, ubi amiseram. Sed rursum mox disparebis, & non videberis, nisi iterum in loco ubi mihi disparueras, toto desiderio Te requiram, dicens cum sponsa: Reverte, Reverte, dilecte mi: neque enim tu irrevocabile Verbum es, quia tui ipsius haec voces sunt: Vado, & Venio ad Vos: modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. Ita ergo & in hoc Corpore potest esse de tua præsentia frequens latitia, sed non copia, quia & visitatio tua latifat, & molestat Vicissitudo. Sed non sine altissimi Consili Tui dispensatione, suavia molestis mihi intermisces; Ut noverim videlicet, non esse volentis, & currentis, sed miserentis Dei solitus; ut ablacter à deliciis, & ad solidiora pestrahar; Ut ex experimento discam, quid possim à Te confortatus, & quid valeam mihi relictus; ut spe-

B 4

rem

rem de tuæ gratiæ præventione afflictus mei cordis angore , & timeam vicinam gratiæ subtractionem , cœlestis roris dulcore nutritus. Dum igitur has in animo meo experior viciſſitudines , nunquam defistam à Te ardentius quærendo , ut vivificer à Te , quia inimici mei semper quærunt mortificare me . Imperas nobis humilitatem , & patientiam , da quod jubes , & jube quod Vis , da ut te quærām patientiā , da ut Te inveniam , & teneam humilitate : Ne dum Spiritus Tuus absconditur paululum à me , in desperationem , & in laqueum incidam diaboli ; & dum Spiritus Tuus , & idem bonus deducere me vult in terram lacte , & melle fluentem , exaltetur cor meum , aut elati fiant oculi mei . Da Continetiam , quam jubes , ne Caro mea , quæ corrumpitur , aggravet , & deprimat me à Te ; Caro enim semper concupiscit adversus spiritum : sed spiritus quidem promptus est , licet Caro sit infirma . Da tandem , ut nunquam interstitium patiar à Te studiosius quærendo ; quia inimici mei interstitium nullum patientur à me persequendo . Exultent

tent & lœtentur in Te omnes quia quærunt faciem tuam semper , & dicant : magnificetur Dominus . Avertantur , & confundantur omnes qui volunt mihi mala . Et sicut Tu , magister bone , docuisti me ubi te quærām , doce simul Tempus quo te quærām .

## CAPUT VII.

*Cor humanum docetur , tempus  
quærendi Deum esse omne  
Tempus præsens .*

**G**ratias Tibi ago , illuminator noctis meæ , quod sicut apud Te non est trasmutatio , nec viciſſitudinis obumbratio , ita apud me imaginem immutabilis Vultus Tui nullam esse velis varietatem , ac distinctionem temporum , quibus ex intimo Cordis affectu , & ex omnibus Viribus exquiram Te . Quærām igitur Te tempore prosperitatis , ut cor meum , & caro mea exultent in Te Deum Vivum ; & quærām tempore adversitatis , ut

## 34 ANAGOGIA

confoler in Te, Domine consolator optime, & tu confoleris in me vel seruo tuo vilissimo. Væ tempori illi verè adverso, in quo si statim memor fuissem Tui, utique delectatus fuisssem de Te. Quoties diu protractæ sunt tristitiae meæ, quia non statim intrare studi in gaudium tuum? Quoties intraverunt aquæ usque ad animam meam, & impulsus, & eversus sum, ut caderem, quia non statim levavi ad Te oculos meos, ut aspiceres, & susciperes me! Quoties diu infixus sum in limo profundi, Veni in altitudinem maris, & tempestas penè demersit me, quia non statim cum Discipulis tuis clamaui: Domine, salva nos, perimus; quia non statim te invocavi, nec firmâ fiducia dixi: exurge, quare obdormis, Domine, exurge, & ne repellas in finem? Quoties diu tristis fuit anima mea usque ad mortem, quia non statim, clauso ostio sensuum externorum, oravi Patrem Tuum, ut Pater Tuus, qui videbat in abscondito cordis mei, rediceret mihi lætitiam tuam, Salutaris meus; & absconderet me in abscondito faciei suæ à conturbationem hominum!

Quo-

## CÆLESTIS. 35

Quoties, tamquam columba illa sedata non habens cor, non inveni ubi requiesceret pes meus, quia non statim pennis sancti desiderii volavi ad Te, qui vocabas me de cruce mea ad Crucem tuam, dicens: Veni, columba mea, abscondam Te in foraminibus Petraræ, in caverna maceriaræ. Miserere hujusce miserie meæ, Deus meus misericordia mea: quid enim miserius cæco miserrimo non vidente, nec miserante super turbam miseriuarum suarum? Affligebar, & amabam afflictionem meam; tristabar, & occultabam Tibi tristitiam meam longe fugiens à Te, qui poteras, & volebas unico obtutu abstergere luctum meum; & convertens interim me ad solatia creaturarum, quæ vel ipsæ indigent tua consolatione, ut possint consolari me, avertebar à Te totius consolationis Patre. Quæram in posterum semper Te, ut redimam tempus illud teterimum, in quo non quærebam Te. Væ annis, Væ mensibus, Væ diebus, Væ noctibus illis adolescentiæ, & juventutis meæ in quibus non quærebam Te, imò profugus in regionem longinquam terram miseriæ, & tene-

B 6

bra-

## 36. ANAGOGIA

brarum aberam infelix abs Te . Pereat dies , in qua non quæsivi Te . Dies ille vertatur in noctem , non requiras eum à me , Deus meus , non illustretur lumine , nec scruteris eum lucerna judicii tui . Obscurerit eum tenebrae , & umbra mortis , occupet eum caligo , & involvatur amaritudine . Noctem illam , in qua non quæsivi Te , lumen oculorum meorum , immo longe procul me separavi à Te , noctem , inquam , illam tenebrosus turbo possideat , non computetur in diebus anni , nec numeretur in mensibus . Sit nox illa solitaria , nec laude digna . Obtenebrentur stellæ caligine ejus ; expectet lucem , & non videat , nec ortum surgentis auroræ ; quia non aperuit ostia terræ , ut deglutiaret me , antequam fugerem iniquus à Te . At cùm omnes dies , cum omnes noctes vitæ meæ fuerint consciæ mortis meæ , quia semper , & ubique despexi Te , Vita mea ; pereant dies omnes , pereant noctes omnes peccati mei . Parce mihi , Domine , nihil enim , immo peccatum sunt dies mei . Delicta juventutis meæ , & ignorantias meas ne memineris , Domine , sed per viscera misere-

## CÆLESTIS.

37

misericordiæ tuæ , in quibus visitasti me oriens ex alto , memento mei Tu , propter bonitatem tuam Domine Deus Spes mea , Deus Patiens , Deus longanimitis , Deus Redemptor captivitatis meæ . Parce mihi miserator Animæ meæ , quod tantam temporis à te mihi largiter impensi jaætiram fecerim ; magna enim vitæ pars elapsa mihi est male agenti , maxima nihil agenti , tota aliud agenti . Damna defleo rerum , sed plus debeo flere dierum damna . Rex poterit rebus interdum succurrere , sed nemo diebus , nisi Tu Domine faciens , ut redimam jaætiram temporis præteriti per houestam , ac laudabilem avaritiam temporis præsentis . Solùm namque Tempus præsens est preciosum , quia solùm tempus præsens est certum , atque meum . Caveam igitur ne amplius teram Tempus tam salutare nisi in Te quærendo ; & quoniam semper usque modo male me amo male vivi , concede , ut in posterum , benè me semper odio habendo , bene me , & Te plusquam me diligam : ne tunc bona facere , & Tibi servire cupiam , quando mors faciendi tempus præsens ademerit .

Cap.

## CAPUT VIII.

*Cor humanum indicat rationes,  
qaibus Deus est querendus  
Hodie, & non Cras.*

**N**unc autem ad Te venio, Deus querens Te, dum inveniri potes, invocans Te, dum p-ope es: quia juravit Angelus per viventem in saecula saeculorum, quia veniet Tempus, in quo tempus non erit amplius; veniet tempus, in quo queremus Te, & non inveniemus, & in peccato nostro moriemur. Absit à me, Domine, tam dira comminatio, non erit mihi hoc, propter nomen dilecti Filii tui, cui semper adhærere mihi bonum erit, in quo ponere spem meam, erit mihi salus. Queram Vultum tuum semper, queram nunc, & semper, ut confirmer in gratia tua. Quid enim erit Te nunc, & semper queri à me, qui es Deus meus, cùm Tu nunc, & semper queras me, quasi essem Tui Deus? Queram Te nunc, & semper, ne vin-

car

car in querendo Veritatem Tuam, & salvando animam meam ab iis qui nunc & semper querunt vanitatem, & damnant animam suam. Contingit etenim non semel, quod filii hujus saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sint. Queram Te nunc, & semper, ut nunc & semper querendo Te, reddam eternum tempus istud tam breve, ac proinde tanti æstimandum. Qui enim te nunc, & semper querunt, nec præteritum, nec futurum tempus agnoscunt, sed uno fruuntur præsenti tempore, velut illi beatissimæ æternitatis Candidati; dicentes semper: nunc cœpi, nunc. O nunc, tempus acceptabile, ò nunc, dies Salutis! O hodie faustissimum! O hodie desideratissimum! O hodie totius felicitatis facundissimum! Per te, ò dulce adverbium, hodie, æterna divini Verbi Generatio nobis exprimitur: Scriptum est enim: Filius meus es Tu, ego Hodie genui Te. Per Te, ò Hodie jucundissimum, temporaria Christi nativitas annunciat: Canentes siquidem Angeli Pastoribus dixerunt: Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est

## 40 ANAGOGIA

est vobis Hodie Salvator . Per Te , ò Hodie optatissimum , Zacchæo salus æterna promittitur : Hodie salus domini huic facta est . Per Te , ò Hodie fortunatissimum , beatitudo Paradisi latroni in Cruce defixo impertitur : Amen dico tibi : Hodie mecum eris in Paradiso . Per Te , ò Hodie saluberrimum , indicitur nobis à Davide divinis Vocibus obsequium : Hodie si Vocem Domini audieritis , nolite obdurare corda vestra . Per Te , ò hodie præsentissimum , monemur à Paulo , ut mutuis adhortationibus ad virtutem excitemur : Adhortamini , inquit , vosmetipsos per singulos dies , donec hodie cognominatur in vobis ; ut non obdurretur quis ex vobis fallacia peccati ; & alibi : Iterum terminat diem quemdam , *hodie* ; hic signat quoddam spatium temporis , scilicet , *hodie* , quod est tempus merendi ingressum in æternam illam requiem . O Hodie opportunitissimum quando te comprehendam ? Quando venies ad me ! Quando Te videbo ? O Cras iniquum ! O Cras maledictæ securitatis , & præsumptionis farax ! O Cras fallacissimæ spei , quando

## CÆLESTIS. 41

do fugies à me ? Quando tui penitus obliviſcar ? Si cras , & cras ; cur non hodie ? Si cras , quod est incertum , quærā Te , Virtus Animæ meæ , & solacium cordis affluens , cur non hodie , quod est certum ? Multi stulte dicunt ; à quinquagesimo in otium sedecam . Sexagesimus annus à curis , & ab officiis me dimittet . & quem tandem longioris Vitæ prædem accipiunt ? Quis ista , sicuti disponunt , ire patietur ? Quadragesima annis Deus proximus fuit generationi illi incredulæ , & duræ cervicis : sed quia Hodie Vocem Domini audientes , obduraverunt corda sua , & semper erraverunt corde non cognoscentes Vias Dei , ideo juravit ipsis Deus in ira sua , quod non introirent in requiem ejus . O generatio mala , & Viperina ! non me apponas , Domine , generationi huic . Sed scribe me in illa de qua dicitur : Hæc est generatio quærantium Domiuom . Quia volo non solum cras , si cras mihi datur , quærere te , sed hodie , *hodie* ; certissima felicitas spiritus mei . Istud hodie erit mihi principium bonæ diei , & quærens te in isto Hodie sperabo te inve-

invenire saltem in Sabbatho, quando in tua pace dormiam, & requiescam; quando honestabis me in laboribus, quando non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra; quando nova facies omnia; quando totus mutabor in Te; quando reformabis corpus humilitatis meæ configuratum corpori claritatis Filii tui; quando requiescam ab omni opere & labore; quando absorbebitur mors mea in victoria mortis Filii tui; quando ero totus in Te totum absortus, meique perditus oblitus.

## CAPUT IX.

*Cor humanum desiderat indefinenter Deum suum querere.*

**V**erum enim hæc coram Te, Deus meus, firmissime proponam, timeo, ne, elabente cum tempore hoc Tui querendi præconcepto desiderio, retrocedam ab inceptis; quod ultimum mihi malorum pareret;

scri-

scriptum est enim, quod nemo mittens manum suam ad aratum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Hinc de genu, & eâ, quâ possum animi demissione rogo te; concede mihi perseverantem in tuo famulatu voluntatem, quia non qui incæperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Da ut indefinenter queram Te non solum Hodie, ex quo incæpi, sed per singulos dies, horas, & momenta vitæ meæ, putans me singulis diebus incipere; & eo studio, ac mentis conatu, ac si singulis diebus, & horis mortem essem oppetitus; quâ enim hora non putamus Filius Tuus veniet, rationem positurus cum servis tuis, & dicet singulis: Redde rationem vocationis tuae. Beati servi illi, quos cum venierit Dominus Filius Tuus Redemptor meus, invenerit vigilantes in te querendo, & indeficierter alacres in te amando. Beati illi, quos sic te querentes in Sanctis Codicibus lego, ut, sicut Sancti tui in Cœlo requiem non habent die ac nocte in te laudando, ita isti nullam remporis particulam transfigunt, quin te incunctanter inqui-

## 44 ANAGOGIA

quirant. Legi quondam, & dum reminiscor, non sine ingenti rubore confundor, Moysem illum Æthiopem, olim principem latronum, quinquaginta quotidie Orationes peregrisse: Paulum Monachum trecenties in die vultum Tuum deprecatum fuisse: Simeonem Stylitam inumeras quotidie vices tibi quærendo impendisse; adeo ut unus aliquando numeraverit mille ducentas quadraginta quatuor adorationes, alias omittens, quia lassus destitutus numerare: Beatam Claram de Montefalco millies quotidie Te Unum Trinumque Deum quærendo de genu adorasse, & totidem per noctem: Seraphinum Ordinis Prædicatorum Generalem Magistrum solitum tres horas, latè dispansis brachiis, aliquando inter orandum Te quærendo perseverate: quia, sicut beata illa Seraphim perpetuò alis librata Te Deum vivum, & verum circumstant, sic iste, ne nomine videretur indignus, immoto corpore animum altissimo volatu ad te explicabat. O quis mihi det pennas hujus Seraphini, & volabo ad te, & in te requiescam! Josephum Anchietam adeò

imp.

con-

## CÆLESTIS. 45

continenter, studio te quærendi, genua flexisse, ut quanquam durissimo ab ea consuetudine callo essent obdurate, crebris hñhilominus rimis, non tam sub incumbentis corporis, quam magnæ virtutis pondere fatigentia dehiscerent. Marcianum tandem, ut cœteros præteream, Eremi accolam, interrogatum à quodam venatore, cuius rei causâ in sylvam concessisset, respondeisse: ego Deum meum hñc venor, nec ab hac pulchra venatione cessabo, donec eum apprehendero. O dilecte mi, tu fugis, & assimilaris capreæ hinnulique cervorum; sed servi Tui, venatoris in morem, te jugiter insectantur, donec apprehenderint! Statue pedes meos tamquam cervorum, ut vestigia pedum tuorum considerando curram post te, donec apprehendam! Quæram te igitur in principio diei, & dies illa erit mihi dies festa, quam agam tibi, dies exultationis, dies desponsationis, & dies plena. Quæram te in progressu, & in fine diei; quæram te in principio noctis, & tunc nox sicut dies mihi illuminabitur, & tenebræ ejus erunt illuminatio mea in deliciis meis.

meis . Quæram in principio horæ , audiens illud Apostoli tui : Hora est jam nos de somno oblivionis surge re . Quæram in principio omnium actionum mearum . Sic , cùm noctu expurgiscar , quæram te dicens : In le-  
tulo meo quæsivi per noctem quem diligit mens , & cor meum , quia Anima mea desideravit te in nocte . Cùm mane surgam , quæram te dicens : Deus Deus meus ad te de luce vigilo ; Siti vit in te anima mea , quæ multipli citer tibi caro mea , Benedicat nos Deus , Deus noster , benedicat nos Deus , & metuant eum omnes fines terræ . Cùm induar , quæram te dicens : exue me Domine , veterem hominem cum actibus suis , & indue me novum hominem , qui secundum te Deum meum creatus est in justitia , & sanctitate veritatis . Cùm manus abluam , quærens te , dicam : Amplius lava me Domine ab iniuitate mea , & à peccato meo munda me . Lavabis me , & super ni vem dealabor . Cùm Sol orietur , quærens te , dicam : Emitte lucem tuam , & veritatem tuam , ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum

Etum tuum , & in tabernacula tua . Cùm Divinum Officium incipiam , quærens te dicam : In conspectu Angelorum psallam tibi ; Psallite Domino Sancti ejus , & confitemini memoriae sanctitatis ejus . Cùm illud absolvero , quærens te dicam ; Unde hoc mihi , ut invenirem gratiam in oculis tuis , qui consolatus es me , & conversus vivificasti me ? Ante Missam quærens te dicam ; O manna suavissimum , omnem habens saporis suavitatem pro cuiusque desiderio , desidero te millies , mi Jesu quando venies ; me de te quando satiabis ? Post Missam ; respice in me , & miserere mei , Pater Æterne , quia unicus , & dilectus Filius tuus de terra deserta cordis mei clamat ad te . Ante refractionem : O quanti pau petes fame pereunt ! Dominus regit me , & nihil mihi deerit , in loco pascuae , ibi me collocavit ; super aquam refractionis educavit me , animam meam convertit . Post refractionem ; satiasti omnem animam inopem , & pauperem esurientem replesti bonis . Cùm domo , vel è cella egrediar , quærens te dicam ; Vias tuas , Domine , demon stra

stra mihi , & semitas tuas edoce me .  
 Et cùm regrediar ; Aperite mihi por-  
 tas Justitiae , ingressus in eas confite-  
 bor Domino : hæc porta Domini , ju-  
 sti intrabunt in eam . Ad sonitum Ho-  
 rologii , quærens te dicam : Forte jam  
 venit hora , ut transeam ex hoc mun-  
 do ad Patrem ; & ego libens ad te ve-  
 nio . In prospere successu , quærens te  
 dicam : Non nobis , Domine , non no-  
 bis , sed nominis tuo da gloriam . Et in  
 adverso : Inclina cor meum in testimoni-  
 a tua : Nomen tuum , Domine , sit  
 mihi turris fortitudinis . Cùm videro  
 creaturas , quærens te dicam : Averte  
 oculos meos , ne videant vanitatem ,  
 ne per fenestras oculorum intret mors  
 in animam meam . In transitu ante Ec-  
 cleiam , quærens te dicam : Quàm ter-  
 ribilis est locus iste ; hæc domus Dei  
 est , & porta Cæli . Verè Dominus est  
 in loco isto , & ego nesciebam . Cùm  
 laudiam confessiones , dicam quærens  
 te : Venite ad me omnes qui laboratis ,  
 & onerati estis , & ego reficiam vos ,  
 sanabo vos sanguine , & meritis Jesu  
 Christi Domini mei . Quis sum ego ,  
 Domine , qui etiam peccata dimitto ?

Ego

Ego sum Homo , & nemo potest pec-  
 cata dimittere nisi tu solus Deus ; &  
 tamen vis , ut ego Idicam : Ego te ab-  
 folvo ? Misericordia nostri , Domine , mi-  
 ferere nostri : Cum Sacram Synaxim  
 ministra , quærens te , dicam : Scio  
 Domine , quod non est bonum sumere  
 panem filiorum , & dare canibus : Isti  
 sunt filii tui : Ego catellus putridus .  
 Sed etiam , Domine , nam & catelli edunt  
 de micis , quæ cadunt de mensa Domi-  
 norum suorum . Cùm infirmos visito ,  
 quærens te , Domine , dieam : Omnis  
 turba quærat tangere filium tuum , quia  
 virtus de illo exit , & sanat omnes . Cùm  
 agonizantibus afflito , quærens te Do-  
 mine dicam . Da mihi Domine , hanc  
 Animam , cætera dona tolle tibi , ut  
 possim , illam super humeros meos im-  
 ponens , exclamare : Congratulamini  
 mihi , quia inveni ovem , quam perdi-  
 deram . Memento Domine , quod su-  
 mus populus tuus , & oves pascae tue .  
 Cum concionem habeo ad populum ,  
 quærens te dicam : Veni , Sanctæ Spi-  
 ritus , reple tuorum corda fidelium , &  
 tui amoris in eis ignem accende . Ignem  
 veni mittere in terram , & quid volo ,

C

nisi

nisi ut accendatur? Ante studium, quærens te dicam: O Bone Iesu, Sapientia Patris, veritas Divina, da mihi intellectum, & vivam. Da mihi memoriam, & te laudabit usque ad mortem anima mea. Da ut bonas litteras discam, quibus instruere omnes in via hac qua gradior, in tuis justificationibus, & non confundar in æternum, fac, ut te unum sapiam, & cognoscam, & diligam, quia extra te quisquis sapit, desipit. Fac me non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Sic denique in omnibus actibus, cogitationibus, & verbis meis quærens te semper, semper inveniam; quia nihil prorsus homini occurrit, ex quo non possit varias Deum te meum amantissimum quærendi occasiones elicere, quicumque studio, & amore te inveniendi afficitur. Et quid dico, quæram te, Deus meus, in principio omnium operum meorum? Quæram in principio, quæram in progressu, quæram in fine; cùm tu sis Alpha, & Omega, Principium,

&amp; Fi-

& Finis, Principium, à quo descendimus, & Finis, ad quem ascendimus. Quæram te omnibus momentis vitæ meæ, amando te, & propter te operando, non quærendo tantum delectari in operibus tuis, quantum in te, qui excedis opera omnia; non tantum dona tua amplectendo; quantum te, qui es largitor omnium donorum; nolendo tantum tua, quantum te, qui es Deus meus, & omnia. Quoties igitur movebor bono aliquo vel levissimo animæ motu vocem tuam esse intelligam, quam suades, ut ardentius quæram te. Quoties aspiciam hæc omnia, quæ creasti, aspiciam te, Creator omnium, in vestigiis divinitatis tuæ. Quoties aperiam os, ut attraham communem aeris spiritum, aperiam cor, ut attraham in me spiritum filii tui; ut qui vivo jam non mihi vivam, sed ei, qui pro me mortuus est. Beati Servi tui, qui vel in corporis ergastulo quondam degentes in terris, conversationem tamen semper habebant in Cælis! Beati qui modo habitant in domo tua, Domine, qui cum invenerint te, semper tamen vehementius exquirunt te, ut aman-

C 2 tius

tius inveniant Te? Sicut enim dum satiantur de te, satiati desiderant te, nec habent in satietate fastidium; sic cum invenerint te, cupidius exquirunt te, & sapidius inveniunt te; sed querunt sine labore, quia inquisitionem inventio comitatur; & inveniunt cum gaudio, quia ipsa inventio tui ex nova semper inquisitione renovatur. Beati, inquam, qui assistunt coram te semper, & incessibili voce decantant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Quando meas voices admitti cum illis concentibus imperabis? O utinam citò, citò, citò! Gauderem siquidem magis, etiam cum minori mea gloria semper laudare Te, quam diutius vivendo secundum leges tuas augere mihi gloriae coronam, sed interim interruptim, & per paucas mōrulas laudare te. Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat; Tua enim voluntas erit mihi semper cumulatissima beatitas, & voluntatis voluntas.

## CAPUT X.

*Cor humanum vellet, si fieri posset, Deum querere eo studio, quo Angeli, B. Virgo, & Christus Dominus Deum quæsivere.*

**C**oncede tamen mihi, benignissime Pater, ut quoad exul ab illa Civitate Jerusalem in hac Babylonie captivitate ploravero; si non semper tecum agere, & te alloqui, tamen per frequentissimos amoris actus, per igneas desiderantis animi flammulas, ac veluti cordis jacula cor tuæ mellitissimæ charitatis possim transverbare. Desidero etenim millies te, & centies millies singulis momentis, ne dum horis, querere te; & si daretur, vellem querere, te alis omnium Cœlestium spirituum; eâ scilicet, quâ sunt præditæ illæ beatæ mentes incredibili celeritate, per quam ab uno in alium locum transire statim possunt. Si, in-

## 54 ANAGOGIA

quam, daretur, vellem quærere, & invenire te, eaque cordis intensione adhærere tibi, quā Angeli se totos in Te Deum meum amoris adhæsivi similitudine transfundunt, atque absorbent, tantā felicitatis excellentiā, ac privilegio, ut quamvis, veluti fidi terrarum ministri, in nostrae salutis propaganda causa versentur, semper tamen in tua contemplanda facie manent inconcussa mentis acie desixi; quia verum est, quod dixit Verbum tuum: quod Angeli nostri semper vident faciem Patris. Immō, si daretur, vellem quærere te eo studio, & diligentiam, quā te semper quæsivit ab illibato suae Conceptionis instanti usque ad postremum vitæ mortalis halitum Beatissima Virgo Maria Domina mea, quae in Te quærendo usque eō processit, ut non solum in donis gratiæ, & sanctitatis superaverit Angelorum, hominumque singulos divisim intellectos, sed universos pariter simul sumptos. Hinc est, quod modō in gloria Tecum cum Filio, & Spiritu Tuo cohabitans, sicut sol lucidius incandescens, ita sibi Solis, & Lunæ rapit positionem, ut sint quasi

non

## CÆLESTIS. 55

non sint, & videri non possint; similiiter & Virgo electa, ut Sol, veri Tui luminis prævia, in illa inaccessibili tua luce præfulgens, sic utrorumque spirituum hebetat dignitatem, ut sint, quasi non sint; & comparatione illius nec possint, nec debeant apparere. Demū, si daretur, vellem quærere Te eo studio, & intentione, quā idem filius tuus Dominus noster Jesus Christus quæsivit tuam majorem gloriam in toto suæ mortalis, ac laboriosæ vitæ curriculo ab instanti Incarnationis usque ad mortem Crucis in monte Calvariae. Et hoc in singulis meis actibus desidero, ut magis, & magis tuæ respondeam bonitati. Quid enim mihi est in Cælo; & ad te quid volui super terram, nisi esse mihi unum velle, & nolle tecum, nec aliud velle, aut nolle, nisi quod tu vis & nolis? Perfice igitur in me, quod incæpisti, & da quod, me benignè præveniendo, immiterum desiderare fecisti. Accendisti in me desiderium quærendi te? Ergo da libens modum, inspira methodum, insinuationem, quā semper vis me quærere te: Præsertim cùm me distractum, at-

C 4

que

## 56 ANAGOGIA

que elongatum à te videris, indica viam per quam facile rursum ascendam ad te; o ignis qui semper ardes, & nunquam extingueris, o amor, qui semper ferves, & nunquam te pescis, charitas dulcedo mea, accende & illumina me; audi, & exaudi me. Hoc oro, hoc flagito, hoc omnibus votis exopto atque peto in nomine dilecti filii tui; per illam immensam largitatis effusionem quā eundem unigenitum nobis dedisti, per illum tenerrimum pietatis affectionem, ac dulcissimam dignationem, quā pro nobis, & in nos Sanguinem suum effundere, fierique tibi obediens usque ad mortem gavisus est: per flagrantissimam denique paterni tui pectoris charitatem, quā ipsum spiritum Sanctum tuum in nos filios adoptionis effudisti. Septem igitur, uti optimè me docuisti, viis anima tibi devota in hac cæcæ noctis caligine debet querere te, lumen indeficiens, & lux vera, quæ illuminas hominem venientem in hunc mundum. Confessione scilicet humili, mortificatione integrâ, piâ lectione, oratione assiduâ, sancta collocutione, silentio, ac intentione purâ. Septem

hu-

## CÆLESTIS. 57

hujusmodi modis, veluti mysticis facibus, Seraphicus in nobis accenditur, ac præservidus ardor divini tui vultus semper & ubique quærendi, qui sæpissimè inter has Ægypti tenebras nobis à te miserrimè peregrinantibus, & ad te ardentissimè anhelantibus occultatur.

## CAPUT XI.

*Cor humanum humili confessione infirmitatis suæ Deum quærit.*

**A**C primò quidem, quis confitebitur tibi cum demissione animi sincera, & non beneficeris ei? Quis aperiet coram oculis miserationum tuarum plagas, ac sordidissimas cicatrices suas, & non medeberis ei infundens oleum, & vinum pietatis ac charitatis tuæ? Quis, in spiritu humilitatis, & in animo contrito, dicet cum Davide: putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ: miser factus sum, & curvatus usque in

C 5 finem,

## §8 ANAGOGIA

finem, tota die contristatus ingrediebar; quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum; & tu benignus, tu conversus, non misereberis ejus? Quis cum Jobo dicet tibi: Quare posuisti me cantrarium tibi, & factus sum mihi metipſi gravis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non auferas iniquitatem meam? Et tu dulcissimè non respondebis: Propitabor peccato tuo, multum est enim? Hac igitur confusus misericordia, quoties aliquod velum interponetur superbiae meæ inter vultum tuum, & animam meam, confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quod non secundum peccata mea fecisti mihi, & poena, quam merebar, non accidit mihi, & tu respiciens in faciem Christi tui, das benignitatem, & terra nostra dabit fructum confessionis infirmitatis suæ. Non enim gaudes de tristitia mea nisi ad salutem; neque lætaris, cum vides quod in luctu versatur oculus meus propter absentiam dulcedinis tuæ, nisi ad depressionem superbiae meæ. Sæpe

qui-

## CÆLESTIS. §9

quidem faciem tuam abscondis; sæpe invadit me languor animi, & hebetudo cordis, & insolita quedam inertia spiritus. Currebam interdum bene; & ecce lapis offensionis in via, ecce impedi, ecce corrui: quia superbia inventa est in me, & tu declinasti paululum à me. Hinc ista sterilitas animæ, & dévotionis inopia, quam patior. Hinc exarescit cor meum, & fit sicut terra sine aqua. Hinc nec compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit Psalmus, non legere, non studere libet, non meditari delectat, non orare scio. Ubi illa inebriatio spiritus? Ubi mentis serenitas, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto? Hinc ad opus manuum piger, ad vigilias somniculos, ad iram præceps, ad odium pertinax, lingue, & gulae indulgentior, segnior, obtusiorque ad prædicationem. Heu! Omnes montes in circuitu meo visitas, Domine, ad me autem non appropinquas. Quare non dubito in causa esse superbiam, cur vocatus statim non respondes: Ecce adsum, quia vocasti me. Etiamsi ista superbìa non appetat, etiamsi nihil

C 6 mihi,

mihi, videar, conscius esse; Quod enim ego nescio, tu scis, Domine, & qui me judicas, ipse es Deus. Numquid qui humilibus dat gratiam, humili auferret datam? Ergo argumentum superbie meæ substractio est gratiæ, & privatio consolationis tuæ. Reddat igitur humili confessio insufficientiæ meæ quod mihi abstulit extollentia oculorum meorum. Nunquam amplius dicat anima mea in abundantia suavitatis tuæ: non movebor in æternum: sed tibi uni referat acceptum omnem sensum pietatis, & dicat: Deus meus, Tibi laus, Tibi sit gloria, à quo omne bonum, & omnis bona voluntas; mihi autem sit confusio faciei à quo omne malum, & omnis mala voluntas. Revelabo Tibi igitur, scrutator cordis, & universorum cognitor Deus, causam tristitiae, & gemitus mei; non quod tu ignores illam, neque ut per me noveris eam, sed ut affectum meum excitem in Te, & ut tu læteris super confessione miseriæ meæ. Revelabo, inquam Tibi causam ariditatis, & desolationis meæ, quæ non est aliud nisi superbia, præsumptio, & arrogantia

mea:

mea; sperabo in Te, & ipse facies quod æquum, & quod bonum fuerit in oculis Tuis. Quod si adhuc me volueris involvi tenebris nativæ ignorantiae meæ, laudem dicam tibi: & fatebor: justus es, Domine, & rectum judicium Tuum. Jussisti Domine, & sic erit, ut sciam abundare, & penuriam pati; Ut sciam à dextris, & à sinistris viam mandatorum tuorum percurrere. Bonum mihi, Domine, tribulari, dummodo ipse sis tecum; & melius mihi erit esse tecum in tribulatione, quam regnare sine Te, epulari sine Te, sine Te glorificari. Bonum mihi Domine in tribulatione magis amplecti Te, in profundo habere Te tecum, quam esse sine Te vel in Cœlo. Si tandem denuo quæsitus invenero Te, & iterum vocatus visitaveris me; quid clamabo? Ostendisti mihi usque modo dura, potasti me, amantissime Pater, vino compunctionis, & potum dedisti mihi in aquis multis, & amaris. Sed secundum immensurabiles bonitatis Tuæ sinus, effundisti rursum in me aquam mundam, & dulcem consolationis tuæ: lavisti me, & ecce video. Reddidisti mihi venam aqua-

aquarum viventium; lætificasti me in gaudio cum vultu tuo. Suscepi de manu tua duplia, ac momentaneum, & leve tribulationis meæ supramodum in sublimitate magnificentissimæ liberalitatis tuæ positum, inenarrabile consolationis pondus operatum est in me. Delectare delectare itaque in Domino, anima mea, & dabit tibi petitiones cordis tui. Fatere cum paupere illo ditissimo paupertatem tuam: Ego autem egenus, & pauper sum; & Deus adjuvabit te: desiderium enim pauperum exaudisti, Domine, præparationem cordis eorum audivit auris tua.

## CAPUT XII.

*Cor humanum integrâ sui mortificatione Deum quærerit.*

**A**T quomodo vadam, & videbo visionem hanc magnam; vultum scilicet Filii Tui benedicti in quem desiderant Angeli semper propicere, si non solvero calceamenta de pedi-

pedibus meis? Quomodo, o bone Iesu, eris mihi totus fixus in corde, qui pro me totus es defixus in Cruce, si Crucis mortificationem in corpore meo non portem? Quomodo mihi tu, vita vivificans, apparebis, si mortificationem Tuam in membris mortis mei jugiter, & ubique non circumferam? Quomodo tu eris mihi dilectus candidus, & rubicundus, si Tu ipse antea mihi non sis fasciculus myrræ inter ubera prædomitæ affectionis meæ dulcissimè amarescens? Quomodo elevabo manus meas ad Te, ut te appreendiā, ut ascendiā in Palmam Crucis Tuæ, & colligam fructus Sanguinis Tui, nisi prius manus meas lavem inter innocentes, & distillent manus ipsæ meæ myrrham probatam, myrrham electam omnimodæ abnegationis? Quomodo, elevatis oculis, neminem videbo, nisi Te, o lumen gloriæ meæ, & Splendor Patris Tui, si mihi adhuc vixero, tibi infeliciter moriens, vita, per quam vivimus, sine qua morimur? Dixisti enim, non videt me homo, & vivet. Moriatur igitur sibi anima mea, morte justorum, ut vita mea abscondita sit cum Te, dulcis.

## 64 ANAGOGIA

cis Christe, Bone Jesu, in Deo Patre nostro dulcissimo. Moriatur exuens veterem Hominem cum aetibus suis, ut induat Te, o pulchra novitas creaturae Tuæ, quæ secundum Deum creata est. Moriatur demergens se in nativa nihili sui abyso, expectans de Te omnem confusionem, & dolorem salutaris pœnitentiae, super confusionem & dolorem peccati mei. Non enim in æternum irasceris, neque in æternum comminaris. Moriatur, cinerem tamquam panem manducans, & potum cum fletu commiscens; gaudens interim digniores animas memoriam suavitatis tuæ eructare, & semetipam tota die mærore confici; donec aspiret dies, & inclinentur umbræ, & vox turturis audiatur, & appareant flores in terra nostra. Moriatur, sepiens se, tamquam vineam tuam electam, spinis illius diadematis, quo coronavit Te virum, ac Regem dolorum neverca Tua Synagoga; donec me fulcias odoriferis Paradisi floribus, & stipes purpuratibus bonorum omium malis. At, ut perfectius mihi moriar querens Te, vita mea, incipiam mortificare sensualitatem

RIO

tem

## CÆLESTIS. 65

tem meam, quâ nimis pronus demitto me ad oblectamenta sensuum, & solatia naturæ, præter necessitatem, aut rationabilem discretionem; ut est in cibo, & potu, in verbis, cogitationibus, rebus, & occupationibus, modisve alius tum vanis, tum curiosis, per quæ internam pacem, devotionem sensibilem, & tuam gratiam, sive amitto, sive prepedio; seminaris in carne, de qua simul & metam corruptionem. Da mihi, Domine, ut continens sim sensuum meorum, desideriis, & concupiscentiis corporis fortiter reluctans, occasionesque, & irritamenta fugiens, atque ad contrarias virtutes meipsum vi retrahendo; donec mortificatis vitiis & excessibus carnis meæ, sensualitas ipsa obediat spiritui. Post mortificationem verò sensuum, arripiam fortiorem pugnam contrà interiorem hominem resistens in omnibus, & ubique semper motibus pravæ voluntatis, propriique judicii. Huic plerique adeo innituntur, ut neque tibi Deo meo vivo, & vero audeant credere, ac resignare se, neque Hominibus propter Te. Sed fit eis proprietas illa in eligendo; ac judicando

cando, quasi basis ac fundamentum, super quod omnia sua ædificant. Quod magnum quantumlibet videatur, corruit tamen in oculis tuis. Ego itaque, si cum gratiæ tuæ robore hoc fundamentum evertero, corruent pariter in me omnes muri Jericho, idest vitia universa. Quapropter aliud fundamentum mihi jaciam, necesse est, videlicet, plenam, ac perfectam me ipsius abnegationem, quâ memet ipsum exuam, & relinquam; & sine restrictione, ac divisione cordis in beneplacitum tuum me resignem, voluntatem tuam cum mente li complacentia medullitis amplectens; ac hominibus propter Te in omnibus licitis obediam, tutissimè confidens Tuæ Bonitati; quæ omnibus qui se corde, & corpore tradunt, & credunt eidem, ubique adest, & providet in prosperis, & adversis etiam minimis, tam ineffabili providentiâ, ut melius vel ipsi optare non possent. Quæcumque igitur mihi evenierint, non ab homine, aut creatura aliqua, sed à Te, tamquam de manu providentiae Tuæ, accipiam; & id æquo, imperturbatoque animo, ac supra vicissitudines

re-

rerum humanarum elevato, atque per amorem in Te fixo; nihilo magis optans prospera, quam adversa, donec omnis proprietas voluntatis, & judicij mei in me funditus moriatur. Hoc erat juge ac potissimum exercitium illius Tuæ Sponsæ Catharinæ Senensis, quæ vel librum de Tua Providentia altissimè, Te dictante, composuit. Concede igitur, ut perfectè moriar, concede ut semper, & in omnibus abrenunciem voluntati meæ, ut vita mea sit in voluntate Tua; concede ut semper contradicam judicio meo, ut per omnia me moveat judicium tuum rectum semper, & sanctum, timendum semper, & amandum. Da mihi omnibus mori, quæ in mundo sunt, & propter Te amare nesciri, & contemni in hoc sæculo. Da mihi, omnibus deliciis creaturarum, propter Te, valedicere: ut in posterum mihi adhærere Tibi Soli Deo, anima animæ meæ, bonum sit, ponere in Te Domino meo spem meam, desiderabile, & quietissimum fit. Da mihi, per immensos thesauros bonitatis tuæ, ut ita in Te vivam absorptus, ut nihil præter te, & extra te quæram,

&amp;

& omnia in te , & propter te quæram .  
 Ita in manu tua sim , ut lutum in ma-  
 nu figuli ; ut regas , & dirigas me , pla-  
 smator meus ; fac ut sim indifferenter  
 paratus ad omnia , uti per Sanctum  
 Ignatium de Loyola in ejus exercitiis  
 spiritualibus doces nos : ad valetudi-  
 nem scilicet , si velis , prosperam , &  
 ad adversam , si etiam velis ; ad conso-  
 lationem spiritus , si velis , & ad deso-  
 lationem , & ariditatem , si etiam velis ;  
 ad multa lumina , & desideria solidarum  
 virtutum , si velis , & ad pauciora si  
 etiam velis ad felicem ; exitum meo-  
 rum cogitatuum vel pro tua Divina  
 gloria susceptorum , si velis , & ad ino-  
 pinatum , atque infastum , si etiam  
 velis ; ad pacem interiorem , si velis ,  
 & ad pugnam , & colluctionem , si etiam  
 velis . In hujusmodi indifferentiæ bi-  
 vio constitutus omni proorsus voluntati  
 , & amoris proprietate ablineo , ut  
 tu me totum conformem voluntati :  
 gaudeo præterea omnia vel ab umano  
 die , vel à tua suavissima ac forti di-  
 spensatione mihi subtrahi ; dependens  
 omnino , tamquam puerulus è brachiis  
 matris suæ , à tua paterna providentia ,

&amp; ea

& ea solum acceptans quæ tua ineffa-  
 bilis , atque infallibilis sapientia mihi im-  
 pertitur ; quoniam non desidero mihi  
 amplius vivere , sed mihi in totum mori ,  
 ut tibi solummodo vivam : utinam  
 dignè , & perfectè ! Fac igitur , ut  
 amore amoris tui moriar , qui amore  
 amoris mei dignatus es mori . Fac ut  
 in vita sim mortuus , ut solum post  
 mortem sim vivus de te , & in te , sicuti  
 quondam fuit ille ditissimus pauper ,  
 tibique confixus Franciscus . Imò fac ,  
 ut vivam unus de te , vita mea : uti  
 Sanctus tuus Ignatius Martyr , & Bea-  
 ta Catharina Genuensis : Ut vivam in-  
 quam de te totus vita mea , vita sem-  
 per vivens , & nunquam moriens : Vi-  
 ta , ad quam suspiro , sine qua morior ,  
 Deus Deus meus , & omnia . Sic in  
 simplicitate cordis mei latus omnia tibi  
 offero , ut te solum quærens , te solo in  
 æternum , & ultra perfruar ; & in te  
 dormiam & cor tuum in me vigilet .

## CAPUT XIII.

*Cor humanum piâ librorum lectione Deum quærit.*

**C**onfitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in s̄eculum misericordia ejus. At quis adeo confitebitur, & magnificabit Te, Deus meus, ut non ardentius desideret confiteri, & magnificare Te? Quia nullus est qui tantum laudare Te possit, quantum Tu laudabilis es. Et quid dicam ego de Te, Deus meus, qui tam benignus fuisti in me pauperrimum servulum Tuum, docens me à juventute mea per piorum librorum lectionem incessanter querere, & facere voluntatem Tuam? Laudent Te Cœli, & Terra, quoniam cum non essem, fecisti me, & cum saepius declinarem procul à Te, revocasti me à semitis iniquitatis, & miseriae, & direxisti me ad Te per vestigia gressuum tuorum, manifestando mihi sapidissimam voluntatem Tuam in codicibus sanctis, cum devota cordis

effu-

effusione. Laudent Te Angelicæ protestates; laudent Te Cœlestes Virtutes, atque Hominum mentes; laudent Te opera misericordiae, ac patientiae Tuæ interminabilis, quoniam cum saepius ignorarem me, aperuisti mihi in piis voluminibus Tuæ veritatis speculum, in quibus pie, attente, & diligenter inspicerem me. Sed agnoscens deformitatem meam, cum deberem odiisse me, oderam speculum, in quo deformis apparebam; & licet saepius accederem ad illud, ut considerarem vultum nativitatis meæ in illo, deformior abibam, quam accesserim, quia oblitus statim qualis eram, deformius in vitiorum fordes irruebam. Miserere mei, Domine, quia miserrimus sum! Quæ enim deformitas miserior potest inveniri deformi amante deformitatem suam? Et quæ miseria deformior miserio non miserante plorabilem jacturam pulchritudinis suæ; imò respuento pulchritudinem suam? Beata anima, quæ numquam satiatur lectione illatam salutari, quæ excitat in nobis devotionis affectum! Tale est enim ingenium naturæ nostræ, ut penitus torpe-

## 72 ANAGOGIA

pescat , si usus Sanctæ lectionis destiterit ; quia sicut ferrum , nisi adhibitum fuerit , æruginem contrahit ; ita & anima nisi frequentius divinis exerceatur lectionibus . Quamobrem David Servus Tuus ait , illum beatum esse , qui die , ac nocte legem Domini meditatur ; quia quæcumque scripta sunt , ad nostram doctrinam , ad nostram consolationem scripta sunt . Sacra enim Scriptura ager est omnium odorum referendissimus , in quem Sanctus Isaac , inclinata jam die , pergit ad refocillandam animam , ubi ei occurrens Rebecca illum , qui acciderat , suâ lenit suavitatem , dolorem . Et quoties nobis , Jesu bone , dies vergit in vesperam , quoties parvæ alicui consolacioni , quæ diurnæ luci , dirissimus , ac intollerabilis dolor , nocturna caligo , succedit ; & vertuntur in fastidium omnia , oneri sunt cuncta quæ videmus ! In modum filicis cor obduratur , hæret lingua , oculorum vena siccatur . Quid tunc ? Exeat fane ad legendum in angulo , sacrum revolvat codicem ; cum subito nobis occurrens Rebecca , Tua scilicet gratia , Jesu dulcis , suâ luce tenebras dis-

squ-

## CÆLESTIS . 73

scutit , pellit fastidium , duritatem frangit , mox suspiriis succedunt lacrymæ , lacrymas cælestè gaudium comitatur . O quando , Deus meus , quærens requiem , & non inveniens nisi in lectio- ne sanctorum librorum , me ad libros , omnino segregatus à fabulis , conferam ? Liber enim vitæ mirificè legentis animum delectat ; etiamsi millies repetatur : quia verba tua , velut vitæ semina , animum hominis expurgant ; illuminant , perficiunt , accendunt , & deificant . Latet etiam in libris Sanctorum Patrum , ac præsertim in Tua Scriptura , divina quædam , & occulta vis & virtus Tui Sancti Spiritus , quæ in legentis cor , modò id cum pietate , & desiderio quærendi Te fiat , ita illabitur , ut eum penitus immutet , uti accidit Augustino legenti Epistolas servi tui Pauli ; & à rebus creatis in Te Deum jam inventum transferat , atque omnino transformet . Sed ò nimis damnosa humanæ mentis inconstantia ! Non percipimus , Domine , eum qui verbis Tuis insidet , fructum , vel quia statim fastidimus , licet cum gustu legere cæperimus ; vel quia non certis ,

D

&amp; sta-

## 74 ANAGOGIA

& statis temporibus constantè lectio-  
ni incumbimus ; vel quia variorum li-  
brorum, curiositati potius, quàm pro-  
fectui indulgentes , circumvolvimus  
multiplicitatem . Et hæc potissimum  
mutatio lectionis est in causa , cur no-  
lentes certis libris immorari , ac enu-  
triri , nihil trahimus , quod in animo  
fideliter sedeat . Nusquam enim est ,  
qui ubique est . In peregrinatione vi-  
tam agentibus hoc evenit , ut multa  
hospitia habeant , nullas amicitias .  
Idem accidere , ostendis mihi , Deus  
meus , iis qui nullo sancto libro se fa-  
miliariter applicant , sed omnes cur-  
sim , & properantes transmittunt . Non  
prodest cibus , nec corpori accedit , qui  
statim emititur ; nihil æquè sanitatem  
impedit , quàm remediorum crebra mu-  
tatio . Non venit vulnus ad cicatri-  
cem , in quo medicamenta tentantur .  
Non coalescit planta , quæ sæpè trans-  
fertur . Nihil tam utile est , quod in  
transitu profit . Distrahit animum li-  
brorum multitudo . Itaque cùm lege-  
re non possum quantum habuero , sat  
est habere quantum legam . Atque ,  
quò certius secundùm leges tuæ vo-  
lun-

## CÆLESTIS.

75

Iuntatis lectioni sanctorum studeam , ô  
Deus , sapientissime inspirator actuum  
meorum , legam quæ vis , sicuti vis ,  
quando vis , quomodo vis , & quan-  
diù vis . Legam , & dicam : loquere  
Domine , quia audit servus tuus . Le-  
gam , & clamabo : ignitum eloquium  
tuum vehementer , & servus tuus di-  
lexit illud . Legam , & ad Te oculos  
meos levabo , qui habitas in altis , &  
humilia respicis in Cælo , & in terra ,  
ut videam voluntatem tuam , & saltem  
eminis , si non cominiis Templum tuum  
visitem . Super omnes autem libros ma-  
ximi faciam librum scriptum intis &  
foris , Filium scilicet tuum Unigeni-  
tum Crucis suffixum , à quo nunquam  
oculos avertit Seraphicus ille Tuus  
Servus Bonaventura ; & poterat dice-  
re cum Paulo : non putavi me aliquid  
scire inter vos , nisi Jesum Christum ,  
& hunc Crucifixum . Ab hoc libro haui-  
serunt Sancti Tui sapientiam illam ,  
quæ stultitia est penes animales homi-  
nes , qui non percipiunt ea quæ Dei  
sunt . Ut fuit ille amicus Tuus Bea-  
tus Jacoponus , vir quondam in sœcu-  
lo nobilis , & literatus , qui cùm po-

D 2

stea

## 76 ANAGOGIA

stea Seraphicæ militiæ nomen dedisset ;  
 & è Cruce Filii tui didicisset multimo-  
 dè huic mundo stultus fieri , rogatus  
 ab eodem Christo Filio Tuo sibi appa-  
 rente amicè , & familiariter , cur hanc  
 stultitiam ita adamaret , respondit ; pio  
 lepore , ut solebat : *quia stultior me  
 fuisti , Domine .* Huic libro adhæren-  
 tes Sancti Tui didicerunt Christo cruci-  
 fisi non solum mente , sed etiam cor-  
 pore . Utī fuere S. Andreas Apostolus  
 Filii Tui , & Julia Ancilla , inter quos  
 primum obtinet locum Sanctus Petrus  
 Princeps Apostolorum ; ad cūjus imita-  
 tionem non ultimam inter omnes me-  
 retur laudem Sanctus Adolescens Cal-  
 liopius , quem cum quinta Sabbato-  
 rum in crucem agi mater ejus intelle-  
 xisset , quinque nummos ministris de-  
 dit , ut eum contraria ratione , quām  
 Christus Dominus crucifixus fuit , af-  
 figerent cruci . In qua animam agens ,  
 vocem de Cœlo audivit : *Veni Civis  
 Christi , & cohæres Sanctorum Angelo-  
 rum .* O utinam huic libro Tuo sem-  
 per studiosius intendam ! O , O uti-  
 nam comedam volumen istud ! O uti-  
 nam valedicam omnibus libris , quan-  
 do

## CÆLESTIS. 77

do in hoc uno habeo verbum abbrevia-  
 tum , quod eructavit cor Tuum mel-  
 lifluum atque amantissimum . Tu ta-  
 men solve mihi signacula ejus , quia  
 neque in Cœlo , neque in Terra inve-  
 niatur , qui sit dignus aperire librum  
 hunc , in quo omnes thesauros sapien-  
 tiae , & scientiæ Tuæ abscondisti . Aperi  
 Deus meus hunc librum , in quo man-  
 na veræ felicitatis , & solidæ dulcedi-  
 nis absconditur ; & per quem mihi in-  
 notescat multiformis sapientia tua se-  
 condum præfinitionem sæculorum ,  
 quam fecisti in eodem Christo Iesu Do-  
 mino nostro .

## CAPUT XIV.

*Cor humanum Oratione assiduâ  
 Deum querit .*

**P**er lectionis sanctæ gradum ascen-  
 dimus ad meditationem nostræ  
 infirmitatis , & Tuæ magnitu-  
 dinis , Deus meus . Per hanc facile men-  
 tem nostram ad Te elevamus , piissimos  
 D 3 affe-

affectus concipiendo, & cor nostrum effundendo ante conspectum majestatis Tuæ, & ex meditatione amoris in Te nostri ignis exardescit. Qui effectus non sequuntur nisi ex mente pura, ex continua cordis, & sensuum custodiâ. & ex fame incessanti Justitiae, & innocentiae Tuæ. Hinc ad praxim descendimus, idest ad vitam, si in aliquo à recto perfectionis Evangelicæ tramite deviet, rectè instituendam, sicut ex practico lumine meditationis dirigimur, & efficaciter movemur ad operandum. Quem fructum si non percepi, Deus vitæ meæ, à meditatione rerum æternarum, vertetur mihi vitio in oculatissimo judicii tui examine, quia nec puritatem mentis, nec sensuum custodiam, nec esuriem justitiae tuæ, nec præparationem proximam ante habui, nec debitos affectus admirationis, timoris, spei, amoris, & gratiarum actionis excitavi. Unde à meditatione redivi sicut ante ad illam accesserā, frigidus, nimirūm, distractus, torpens, ac mœrens. Vide, Domine, & considera, quoniam factus sim vilis: & ubi alii te quærentes inveniunt, ego

quæ-

quærens Te, nunquam invenio; quia in toto corde meo non exquisivi Te. At sèpè etiam, non secundùm negligentias meas, sed secundùm multitudinem miserationum tuarum, tribuens mihi bona pro malis, introducebas, me in affectum inusitatum, quo statim reminiscens Tui delectabar de Te, totus intentus in te, non quidem oculis carnis meæ, sed oculis spiritus Tui, in quo clamabam, Abba Pater! Hic, Deus meus, memor eram, hic intelligebam, hic totus afficiebar, & gustabam. quam suavis es, Domine, quam tu solus delectatio sis & dulcissima suavitas mea. Aliquando etiam ubicumque erat impetus Spiritus Verbi Tui, illuc omnes affectus animæ meæ gradiebantur, quærentes Te, centrum, & quies unica cordis mei, nec revertabantur ad me, cùm incederent ad Te. Quoniam tenebas manum dexteram meam, & in voluntate filii tui deducebas me, & cùm gloria victoriarum ab omnibus adversariis meis, suscipiebas me. Ingrediebar tunc per vulnera filii tui ad divinitatem, & è vulneribus egrediebar ad humanitatem Christi Tui,

& semper pascua inveniebam. Ibi quantum tu Pater in me amoris effundebas, tantum & Filius tuus dulcedinis infundebat; quia quæcumque tu facis, hæc & filius tuus similiter facit: Tu autem Pater in ipso manens agebas omnia. Et manebam igitur in te, ut manerem in filio tuo, sicut Tu Pater, & filius tuus in eadem unitate spiritus unum estis. Et dum tu venires ad me, rursum intelligebam venire ad me filium tuum; quia ubi es tu, illic & filius tuus semper erit: Et dum filius tuus veniret rursum ad me, & tu iterum veniebas ad me; quia ubi est filius tuus, & tu similiter habitas. Veniebas cum filio tuo ad me, & mansionem apud me in eodem spiritu cum filio faciebas. Introducebas me in cellam vñnariam, ordinabas in me charitatem; quia à contemplatione vultus tui vocabas me alacriori instinctu ad actionem pro animabus illis quas pretioso filii tui Sanguine redemisti. Hic docuisti me, Deus meus, quam perfecta vita sit, ad quam eruens me è sæculi tenebris vocasti me. Cùm etenim vitæ nostræ fînis comprehendat cum Maria

riæ contemplationem, tum Marthæ actionem; (quod est genus vitæ mixtæ, illius scilicet, quam Christus filius tuus in se tenuit, & ostendit; & Apostoli omnes) perfectius assequitur te, quam sola activa, aut contemplativa. Nam perfectius diligunt te, qui propter te tibi, & aliis servit; quam si soli tibi servire velit. Quamvis enim detrimentum aliquod in dulcedine contemplationis tuae patiatur propter exteriorem occupationem quâ proximis servit; hoc ipsum perfectionem divinæ tuæ dilectionis attestatur: quia magis aliquis amare Te convincitur qui propter tuum amorem jucunditate præsentiæ tuae ad tempus carere desiderat in tuis servitiis occupatus, quam si tui præsentiâ semper frui vellet. Unde Apostolus tuus postquam dixerat: neque mors neque vita separabit me à charitate Dei; postmodum subiungit: optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis: ita enim tantum ejus mentem devinxit amor Christi filii tui, ut etiam hoc, quod ei præcœteris omnibus amabilius erat esse cum Christo filio tuo; rursum idipsum, si

ita placeret eidem Christo tuo, contemneret. Absit igitur à conscientiæ vestræ aestimatione, à paupertate, & humilitate vestra, ò solitariæ vitæ professores, absit ab ore vestro omnis altitudo, quia altum sapere mors est. Longe supra vos vitam eorum suspicite, & admiramini, qui ambidextri fortissimi (sicut Ahod ille fortissimus Judex Israel) qui utraque manu utebatur pro dexterâ, & quamdiu licet, devoutissimè intus vacare astant charitati contemplandæ veritatis, & cum necessitas vocat, vel officium trahit, promptissimè se foras mittunt pro veritate adimplendæ ordinatissimæ charitatis. Absit, inquam, à vobis, ut nunquam arbitremini lucere solem communem diei, nisi in cella vestra, nusquam esse serenum, nisi penè vos, nusquam operari gratiam Dei, nisi in conscientia vestra. An solitariorum Deus tantum? imò & omnium. An alligata manus Domini, ut non possit donum contemplationis etiam activam vitam agentibus impetriri? Imò & iis liberalius dona quietissimæ familiaritatis secum elargitur, qui per mille difficultates plures

red-

reddere Deo famulos satagunt. Sed absit etiam à me, Domine Deus salutis meæ, ut surgam ad alios convertendos antequam ego sedeam cogitabundus, & panem doloris manducans in mea conversione procurandâ: dixisti enim: surgite postquam federitis. Absit à me, Domine, ut vel inter proximos degens mei obliviscar, & dum aliis te summum bonum gustandum exhibeo, jejunus efficiar. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur tibi, Deus meus, animæ verdæ suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit Homo communionem pro anima sua? Miserere animæ tuæ, dum misereris alienæ. Læva tua, ò bone Christe, sit sub capite meo, sed in primis dextera tua amplectetur me. Hoc est, sinistra tua, quæ denotat vitam Activam, erit sub capite meo; hoc est, secundariò intenta: & dextera tua, id est, vita contemplativa, per quam intendo mihi, amplexabitur me, erit nimicum super caput meum, quia erit ad quod primò intendam; quia primò intendam mihi, posteà aliis propter te: primò queram te mihi, ut posteà te inventum monstrem aliis.

D 6

CA-

## CAPUT XV.

*Cor humanum sanctâ Collocutione Deum querit.*

**S**ed frustra sensum Christi filii tui percipimus in oratione si ejusdem Christi non sumus bonus odor in omni loco. Quid enim prodest, nos intus collectos devotè tecum agere in oratione, si statim ad profusionem animi præcipites excurrendo, in vanas atque inutiles confabulationes repente prolabimur? Parce mihi, Domine, quia ventus est vita mea, & fugit velut umbra omnis sancta cogitatio, à te mihi inter orandum immissa! Existimans enim me, propter Christum tuum, tamquam mortuum super terram, solum de Christo debebam vivere, solum Christum debebam spirare, &, si loqui cum fratribus juberetur, ex abundantia cordis os loqui, & eructare cor meum verbum tuum bonum decebat. O Deus omnipotens, quis refrænabit libertatem linguae meæ, nisi tu qui lingue

guas hominum, & corda tenes in tua potestate? Quis continebit in officio incontinentiam oris mei, nisi tu, qui claudis ora loquentium, & nemo aperit; aperis ora mutorum, & nemo claudit? Munda, Domine, cor meum, aet labia mea, qui labia Isaiae Prophetæ calculo mundasti ignitio. A, A, A, Domine Deus, nescio loqui, quia ego puer sum. Nescit enim loqui, qui vel disertè loquendo de omnibus, silet de te uno, Deus meus, qui labia imperitorum resolvis, & linguas infantium facis esse disertas. Pone verba tua in ore meo, da mihi sermonem rectum, ut placeant coram te verba mea, quia tu solus verba vitae habes; ne recedant eloquia tua de ore meo; semper laus tua sit in labiis meis, quia tu solus laudabilis nimis, & major omnia laude. Loquar igitur imposterum vel de te, vel pro te, ne loquens vel contra te, vel præter te, vel non propterea, amittam te, quem inveni in oratione, & quem magis debebam quærere in pia sermocinatione. O utinam enixè te diligenter! O utinam experier suavitatem praesentis tuis! Quia

tung

tunc familiare mihi esset agere, & loqui de iis quæ sentis, & quæ animus meus recognitat: Videlicet enim militem in omnibus ferè, quæ diligit, linguam detinere, verbosari; ea trahere in colloquium, quæ officio competunt militari; & vix in ejus ore sonat, nisi lancea, gladius, scutum, galea, vel lorica; quæ et si ad præliandum reddit ei nonnunquam timor degener inimica; tamen ad loquendum familiari consuetudine sunt amica. Sic nauta loquitur, auras, ventos, æquor, velum, & remiges. Sic agricultores, cum in unum conveniunt, repente, & sine tardio, de iis, quæ agriculturæ sunt, sermonocinantur. Artifices mechanici de artificiis: mercatores de mercimoniis suis; Oratores de figuris verborum, & sententiarum, de periodis, de argumentis. Proh dolor! Ego servus tuus, & filius Ancillæ tuæ Matris meæ Mariæ, quæ proprio congruunt statui, audire, vel loqui non curo, vel ignoro? Cum vana audio, & scurrilia loquor; intentus sum; cum vero spiritualia, citò fatigor, & persæpe misérabiliter mergor somno? O Deus Amor meus,

meus, illabere, & cor meum tuâ potenti virtute, ac cœlesti unctione penetra, atque emolli, ut ex corde pleno tuâ gratiâ, sermonocatio sancta, & penetrabilior omni gladio ancipiti prorumpat. Qui enim te gestant in corde semper te gerunt in lingua, & ed efficacius loquuntur de te, quem amant, quod ardenter amant te, quem loquuntur. Et quamquam omnibus dissimulationis artibus utendum sibi censem pro humilitatis ingenio, nunquam tamen tam arcta Te amorem custodiâ in pectore prement, quin per os erumpas inobservabili quadam, & laudabili licentia. Latere ignis non potest, quin aut evibratis subinde igneis veluti linguis alacritatem, aut si violentius opprimatur, fumo saltè mæstitiam non testetur. Tacito gemitu, liberisve sermonibus eluctari Amor in te noster opus habet; magnoque tui consilio visa illa divini amoris, quæ Apostolis tantæ dignatione incidit de Cœlo, igne in linguarum modum conformato expressa, atque proposita oculis fuit. Huc accedit, quod non minimam lucrandis tibi animabus artem esse domesticas de te op-

te opportunè propositas , atque institutas sermocinationes , felicissimis constat experimentis . Quot enim tibi venatus est animas ille de te plenus Philippus Neriū , cui ore suavissimo de te loqui datum est , tantâ dexteritate , atque efficacia , ut & familiarissimè congrederetur , & vehementissimè flexanima illa suaviloquentia hominibus animos immutaret ? Quot Animas ad te revocavit ab erroribus sœculi Joannes Avila , qui adeò de te ardentes miscebat sermones , ut magna cum laude posset gloriari : quicquid conabar dicere , Christus erat ? Quot ad te animas convertit in Italia , Germania , Lusitania , & Hispania Petrus Faber , qui frequentissimo semper celebrabatur hominum concursu , dum suavissimè de rebus ad æternam salutem spectantibus sæpius æger , ac decumbens loquebatur , atque arcana divinæ tuæ , ac interioris sapientiæ edocebat ? O Amor , fac ut te medullitus amplectar in corde , ut te semper præferam in ore ; quia sine voce non est Amor qui totus Vocalis est , & sonorus : scriptum est enim de spiritu tuo , qui amor est :

spī.

spiritus Domini replevit orbem terrarum , & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis .

## CAPUT XVI.

*Cor humanum silentio , ac recollectione Animi frequenti  
Deum suum querit .*

**A**T doce me in silentio , Deus meus , quomodo me gerere debeam in collocutione ; doce me in frequenti animi recollectione , quomodo me habere debeam in animi manifestatione . Da mihi nullum diem transfigere , quin sedeam per aliquod horæ spatium solitarius , & taceam , ut totus possim intendere præceptis tuis , totus possim feriatus ab omni interpolatione humanæ consuetudinis divinis sapientiæ tuæ oraculis vacare , totusque magisteriis sanctorum tuorum incumbere ; quod prius loquenda cognoscam , quam proféram , quæ sentio , antequam loqui discam ; timens ne multiloquio pec-

peccatum contraham , & amittam te ; quem tanto labore quæsivi . Pone , Domine , custodiam ori meo , & ostium circumstantiæ labiis meis , ne declinet cor meum in verba malitiæ , in verba perniciosa , detraetoria , impudica , ac contentiosa . Quia si tu non custodieris linguam meam , frustrè vigilo , quoties custodio eam . Omnis enim natura bestiarum , & volucrum , & serpentium , & cæterorum domantur , & dominata sunt à natura humana : linguam autem nullus hominum domare potest , inquietum malum , plenam veneno mortifero . Parvum quidem , & modicum membrum est lingua nostra : sed quantus ignis magnam sylvam incendit ? Et lingua ignis est , & universitas malorum , & iniquitatis ; quæ constituitur in membris nostris , & maculat totum corpus , & inflammat rotam nativitatis nostræ , inflammata à gehenna . Et quomodo potest benè inflammare lingua tam pessimè inflammata ? Ignem hunc , quem evomit , haurit de gehenna ; male succendit ; quia diffidii verba pronunciat , & flamma talis de inferis est ; inde incipit , & illò rapit : nam

flam-

flamma , quæ desursum est , pudica est , pacifica est , bonis consentiens , bonos faciens , & lingens ulceræ , miserias proximorum compatiendo , & sublevando . Sed , ut detractionis vitium lingua mea evadat , confirma me , Domine , ne de absentibus unquam loquar : nisi quæ certa sunt , & in majorem eorum laudem redundantia . Fac , ut semper mihi ad manum sit quo sermonem detractoriū interrumpens , aliam materiem afferam loquendi , sed ea dexteritate , quam solet unus tui , & Proximorum amor , edocere . Custodi me Domine , ne de iis , qui me offenderunt , loquar , aut patiar quempiam loqui ; quia detracatio sensim illabitur , dum alii ad meum levamen loquuntur , mihi adulantes , & offensoribus detrahentes . Custodi me , ut quantopere possim , semper in silentio maneam ( silentium dico , non solùm oris , sed & maximè cordis ) ut concupiscentiarum turba , passionum clamor , malarum affectionum , & inclinationum inordinatarum procacitas in me non audiantur , nec cum importunis rerum mundanarum , atque curis , & strepitu intus implicerentur .

Sed

Sed in silentio, & animi tranquillitate constitutus te solum quærain, te solum auscultem. Custodi linguam meam, ne verbis unquam contendam, nec sensum, atque opinionem meam defendam: Sed finam, quemlibet abundare in sensu suo, ubi benigna, ac tranquilla adhortatione nihil profecerim: Tibi uni committens omnia, & tibi uni vivens in silentio. Custodi insuper cor meum, ut fugiam consortia, familiaritatesque hominum; & ubi aliter necessitas, propter honorem Tuum, aut proximi salutem non urget, conserva me solum, quia nunquam minus solus, quam cùm solus; nunquam tibi proximior, quam cùm mihi maximè interior. Deus meus, quando ero in te totus recollectus, & à mundi illecebris, & falliciis abstractus? O felix recollectio, quæ omnia poma nova, & vetera servat tibi, dilecte mi! Felix abstractio, quæ affert, in summa spiritus paupertate, ac solitudine, summam abundantiam, & præsentiam consolationis tuæ, Creator potentissime! omnis enim copia, quæ Tu, Deus meus, non es, inopia mihi est. Serva me igitur sic abstractum

abstractum ab omni negotiosa rerum anxietate, & vanitate in silentio, & solitudine cordis, ut ubicumque fuero, sive inter homines versans, sive procul ab hominibus, semper intus maneam tecum solus, & ab omnibus creaturis, etiam à me ipso, idest ab amore, cura, & sollicitudine privata proflus alienatus. Ut agebat illa tua humilis Ancilla ac Virgo Senensis Catharina, quæ domesticorum invidia à collæ solitudine distracta, & inter viliora domus ministeria detenta sacram solitudinem in suo corde construxit; in qua vel inter mille curas degens tibi uni vacabat, solum de te cogitans, quia tu ei promisisti, te cogitaturum de illa. Felix Anima, quæ secum semper suam solitudinem trahebat, cùm jactaverit cogitatum suum in te, Domine, & tu ipse eam enutriebas, nullam patiens experiri fluctuationem, seu vicissitudinem. O Beata solitudo, quando ad te totum me conseram; ut possim Deo soli omnino servare me ipsum. Fuge, cor meum, turbas, ac strepitus; ne implices te alienis, quæ ad te non attinent. Attende tibi, & doctrinæ. An nescis te ve-

te verecundum habere hospitem, qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam, turbulentis turbis præsentibus. Secede ergo, sed mente, non corpore, sed devotione, sed spiritu, sed intentione. Ita Bernardus.

## CAPUT XVII.

*Cor humanum affert ultimum,  
cumque potissimum Dei quæ-  
rendi modum, intentio-  
nem videlicet puram.*

**A**T quis posset quærendo invenire te, si vel per prædicta vitæ spiritualis exercitia quærat te, sed non propter te? Soli enim mundo corde, hoc est oculis puræ intentionis prædicti videbunt te. Soli recti corde, hoc est rectam semper ad te voluntatem ac spiritum dirigentes, invenient lætitiam tuam. Nam qui dum aliquid boni cogitant, dicunt, vel operantur, ad totum sincerâ, ac purissimâ inten-

tione

tione ad solam tui majorem gloriam, sicuti Sanctus tuus Ignatius de Loyola agebat, non dirigunt; sed vel proprium commodum querunt, vel gloriam suam appetunt, vel auram captant popularem, vel propriam desiderant consolationem, hi nec querunt, nec inveniunt te; quia puritas intentionis exigit, ut omnia propter te agamus, & ad locum, unde exeunt flumina gratiarum, revertantur, ut iterum fluant. Hei mihi Domine, qui toties ipsam veritatem tuam non pro veritate, sed pro vanitate quæsivi; & inventam veritatem, non in veritate, sed ad vanitatem dilexi, & quod miserrimum est, in verbis vitæ ad mortis lucra negotiatus fui! Non sic fidelis servus, & prudens, non sic, sed de bonis operibus nihil arrogans sibi, psallit tibi Domine cum Propheta: Domine, non est exaltatum cor meum, nequè elati sunt oculi mei. Rectam enim intentionem comitatur humilitas, & sui despiciens, cuius prævaricator à tuę suavitatis gусту, sicut infans à maternis uberibus, abducitur. Non sic Homo ille secundum cor tuum, qui dicebat: voluntarie

## 96 ANAGOGIA

tariè sacrificabo tibi , & confitebor nomini tuo Domine , quoniam bonum est . Et quare voluntariè ? Quia gratis amabat quod laudabat . Laudat Te Deum meum , & in ipsa laude gaudet , & tui ipsius laude gaudet , quo laudato non erubescit . Gratuitum namque illi est & quod laudatur , & quod amat . Quid est gratuum ? Tu ipse propter te laudatus , non propter aliud . Contemnit omnia David , te ipsum attendit , te unum gratis diligit ; quia melius non invenit , quam te ipsum . Et confitebor nomini tuo Domine ; quoniam bonum est . Ob nihil aliud , nisi quod bonum est . Numquid ait ; confitebor nomini tuo , quia das mihi aurum , & argentum , quia das mihi latae divitiae ; excellentissimam dignitatem ? Non . Sed quid ? Quoniam bonum est : quasi dicat : melius nihil invenio , quam nomen tuum , ideo confitebor nomini tuo , quoniam bonum est . Ergo laudare te Deum meum propter Te solum Deum , hoc verè Te Deum laudare est . Quærere Te Deum meum , & cum Deo nihil aliud quære pe præter Deum , hoc verè quærere Te Deum

## CÆLESTIS. 97

Deum meum censendum est ; Ideo Tu Cælestis Sponse , in Sacris Canticis Sponsæ tuæ oculos præ ceteris membris collaudas , teque mirificè captum unico ejus oculo declaras , dicens : vulnerasti cor meum , soror mea sponsa , vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum : Non dicis in oculis , quasi in pluribus : quia unica erat ejus ad te intentio , unus oculus simplex , & directus in te unum : quia te unum quæret propter te . O si me sèpius explorarem , & diligentius in meis operibus , cogitationibus , ac dictis , meam intentionem scrutarer ; quoties invenirem in me non unum ; sed duplicem oculum : Unum quo cœlum aspicio , alterum quo terram respicio : Unum quo Deum ; alterum , quo homines intendo ! Vel ; si Deum te meum aspicio , non est , quia bonus tibi , & in te es ; sed quia Bonus es mihi , & in me circa hæc temporalia bona mihi tradita : que intentio non est amoris , sed concupiscentiæ . O Deus vita mea , quis dabit mihi oculos columbae , ut cognoscam & amem , te propter te ! Ah quoties Domine , Angelus Sathanæ transfigu-

E rat

rat se in Angelum lucis ! Quoties voluntate tua duci credimus , qui ducimur , & seducimus voluntate propria ! Quoties amore tuo trahi ad te querendum putamus , qui solum amore nostro sensibili , pertrahimur ! Quis inter tot pericula ac cæcitatibus laqueos dirigit nos ? Lucerna pedibus meis sit verbum tuum ; Deus animæ meæ , & lumen semitis meis ! Hoc verbum , quod est sapientia tua , doceat me querere semper te , propter te ; sincerissimo videlicet corde , & purissima intentione . Duabus enim aliis dixit ille tuus deus servus , homo sublevatur à terrenis , simplicitate , & puritate . Simplicitas debet esse in intentione , puritas in affectione . Simplicitas intendit te , Deus meus , lux animæ nostræ ; puritas apprehendit , & gustat . Nec ulla bona actio me impediet ; si liber intus ab inordinato affectu fuero : si nihil aliud ; quam tuum beneplacitum , & proximi utilitatem intendam & queram ; eâ libertate perfruar , quâ Christus Filius tuus nos donavit . Uno verbo : semper te inveniam , Deus meus ; si eâ intentione , quâ Christus Filius tuus ,

tuus , & idem Dominus noster in tetricis gloriam tuam semper quæsivit ego te queram ; & ex toto corde meo te diligam , si , uti S. Catharina Senensis , diligam te eodem corde ipsius Filius tui , quo hæc Seraphica Virgo te dilexit .

### CAPUT ULTIMUM ,

Seu Libelli Scopus .

*Cor humanum innuit Artem  
Deum inventum  
amandi .*

**A**T quomodo Te diligam Deus Amoris mei , quomodo in te invento requiescam ? Diligam te , si fieri potest , in infinitum , sicut tu in infinitum diligens , dilexisti me . Diligam te quantum potero , Deus meus , adjutor meus ; hoc est , diligam te pro dono tuo , & modo meo ; minus quidem justo , sed planè non minus modo meo ; qui etsi quantum

debo non possum, non possum tamen, ultra quām possum; Potero vērō plus, cūm plus donare dignaberis, nunquam tamen prout dignus haberis. Diligam te toto corde, idest, intellectu, sine errore; tota anima, idest voluntate sine contradictione, totā mente, idest, memoriā sine obliviousione; sic nullā vitæ meæ parte vivam, quin illuc rapiar, quod totus dilectionis impetus currit. Diligam te toto corde, idest, ut me docet Bernardus, sapienter; totā animā, idest, dulciter; tota virtute, idest perseveranter, seu fortiter: dulciter, ne illeactus, prudenter, ne deceptus; fortiter, ne cypressus unquam ab amore tuo avertar. Non abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, totā animā, totā virtute diligere te est. Dulciter te amat, qui Christo filio tuo compatitur, compungitur, & movertur; sapienter te amat, qui ab Ecclesiastici sensus puritate nullo errore deflectitur, & qui discretionis metam, nullā superstitione, vel levitate, vel spiritus immoderatā vehementiā defert; fortiter te amat qui nulla vi laborem,

rum,

rum, vel etiam mortis metu Justitiam destituit. Diligam te, Deus cordis mei, amore ardentissimo, amore insatiabili; ita ut cor meum solo amore, ac desiderio tui ardeat. Sicut enim qui ardentissimè sitit, nil aliud potest cogitare, quām potum, & quamvis aliud egerit, sitis illum urere non absistit, nec quiescere potest, etiam viso auro, si potum non obtineat. Sic qui te ardentissimè, & insatiabiliter amat, non potest aliud cogitare, nec aliud concupiscere, nisi ad te venire, & tibi intimius conjungi. Hoc videmus in iis qui in fano, ac cæco amore afficiuntur; qui cibum, potum, omniaque oblectamenta, & necessaria corporis commodity fastidiunt; solo amore rei, quam amant, pallecent, infirmantur, ac penitus deficiunt, desiderantes solum amare, & amari. O si ita te amarem, Deus meus! O si in te uno esset gaudium, quies, desiderium, & voluptas mea! O si solum siti amoris tui æstuarem! Diligam te Deus meus ardentissimè, & si parum est, diligam ardentius. Remove, Domine, cuncta obstacula amoris tui, & abripiat,

E 3

ob-

obsecro , mentem meam , ab omnibus  
quæ sub cælo sunt , ignita , & mellifi-  
ca , & insatiabilis vis charitatis tuæ ,  
ut tibi soli semper inhæream , quem  
quæro , quem amo , quem semper magis  
concupisco . Nihil fiam in conspe-  
ctu tuo , ut semper magis regnet in me  
amor tuus . Quis mihi det , ut ego moriar  
pro te , robur salutis nostræ , Christe  
Deus ? Quia solum sufficit mihi , si tu Je-  
su vivas , etiamsi moriar ego , vilissima  
creatura , & tanquam nihilum ante te .  
Si vivas Tu , vel moriens vivo , cùm de  
Te ipso pendeat Anima mea , imò ipse  
sis vita mea , ipse sis sufficientia mea .  
Quid enim mihi deficere , aut deesse  
potest , si tu Jesu Vivas ? Imò de-  
sint omnia alia , nihil interest mea ,  
dummodū Tu Jesu Vivas . Ah quando  
sic Amor Tuus totum consumet  
me , ut negligens , & immemor mei ,  
nonnisi Te Jesum Christum , & ea , quæ  
sunt Tui , o Jesu Christe , sapiam , &  
sentiam . Quis mihi det , inquam , ut  
ego moriar pro Te , & cognoscant Te  
omnes fines terræ , cognitor animæ  
meæ , atque hospes cordis desiderat if-  
sime ? vel , si non conceditur mori pro

Te

Te doloris gladio , saltem concedatur  
mori sagittâ charitatis ! O beatam mor-  
tem ! O preciosum exuberantis amoris  
excessum , atque languorem ! Ecquid  
mirum foret , si servus Tuus charita-  
tis extasim pateretur , quando Tu , Do-  
mine , grandem amoris extasim passus  
es . Sed quam extasim ? Quid dicam  
quam extasim ? Deus in ligno pendes ,  
omnipotens latronum medius crucifi-  
geris , irrideris , blasphemaris , con-  
spueris , flagellaris , & occideris . Et  
super hæc omnia , quotidie à me immo-  
laris , tangeris , & comedeleris . Ubi est ,  
Deus , sapientia Tua ? Ubi est poten-  
tia Tua ? Ubi est gloria Tua ? Ubi est  
divinitas , majestas , & æternitas Tua ?  
Noli quererere , anima mea ; extasim  
passus est Deus tuus , alienatus est à  
seipso , ut tu redeas ad Te ipsam ; exi-  
nanivit semetipsum , ut Tu cibo gran-  
diū , & mammilla regum grandeſce-  
res . Exinanivit se ad usum nostrum ,  
ut eum capere , & comedere possimus .  
Introduce me , Domine , in hanc cellam  
vinariam corporis & Sanguinis Tui ,  
ut moriar solā ebrietate amoris Tui ,  
oblitus omnino mei ; ut vivam solum

E 4

in

in voluntate Tua. Non enim habet homo , quo possit amorem suum tibi validius ostendere , quam mori sibi ut vivat in voluntate Tua . Hoc oro , hoc desidero , ut probem quæ sit voluntas tua , bona , beneplacens , & perfecta , ut primò bene , mox melius , demum perfectissimè Sanctissimam Tuam voluntatem in omnibus cognoscere , & completere studeam . Hæc enim Tua voluntas regula est , mensura , fons , & origo omnis virtutis , & totius amoris perfectio . Cujus rei memorabile exemplum memini me quondam legisse apud quendam Servum Tuum , & h̄c , pro coronide libelli , adscribam , ut magno sit mihi incitamento ad conformandum me totum voluntati Tuæ benedictæ , in qua complenda omnes amoris Tui candidati debent insudare .

Fuit olim insignis quidam Theologus nomine Joannes Taulerus , Dominicanæ Familiae Alumnus qui annis octo precibus continuis à Domino cuperbat id obtinere ut ipsi hominem quemdam ostenderet , qui eum viam veritatis edoceret . Cumque vice quedam vehementissimo hujus rei flagraret desi-

desiderio , vox quædam cælitus lapsa , ita ipsum allocuta est : exi foras ad limina templi , & offendes illic hominem , qui te viam veritatis edoceat . Exiens igitur invenit mendicum quemdam , disruptis , sordidis , lutosis pedibus , cujus uestes in universum vix tribus obolis suffütates : quem salutans , ita affatus est : det tibi Deus prosperum mane : Respondit mendicus : non memini umquam adversum mane habuisse . Et Magister : Eja , inquit , ut fortunatum te faciat Deus . Quid ita loqueris , respondit mendicus : sed nec infortunatus aliquando fui . Et ille : felix esto , inquit : quid sibi hæc tua verba volunt ? Et pauper : numquam , ait , infelix fui . Rursus , itaque magister : Salvet , inquit , te Deus , jam nunc apertius loquere ; neque enim capio quid dicas . Tum pauper respondit : id faciam liberter . Optabas mihi , magister , prosperum mane , & ego me numquam adversum mane habuisse respondi : quando enim fame premor , Deum laudo , si frigus patior , si grando , si nix , si pluvia cadit , si aura serena est , vel turbolenta , Deum laudo ; si miser sum , at-

que despectus , Deum similiter laudo , & ideo numquam triste mihi mane contigit . Optabas etiam me fortunatum fieri , & ego numquam me infortunatum fuisse respondi ; novi enim cum Deo vivere , certusque sum , quicquid ille facit , non posse non esse optimum . Unde quicquid ipse vel dabant ; vel evenire mihi permittebat , sive gratum id esset , sive contrarium , dulce , vel amarum , laetus id tamquam optimum ab ipso suscepit , & ideo numquam infortunatus fui . Dicebas præterea , ut felicem me faceret Deus ; ad quod ego similiter , numquam me infelicem fuisse subjunxi ; soli namque divinæ voluntati adhærere statui , in quam sic integrè omnem meam voluntatem transfudi ; ut quicquid ille vult , & ego velim & meam ipsi voluntatem ex integro resignarim . Hæc cùm mendicus ille retulisset , ita eum rursus magister assatus est . Quid ; obsecro , dicturus essem , si te Dominus majestatis in abyssum demergere vellet ? Et ille : in abyssum , inquit , me demergeret ? Et reverâ si id ficeret , duo mihi brachia sunt ; quibus eum amplexarer . Unum est ve-

ra humilitas , & hoc illi suppono , atque per ipsum Sacratissimæ Humanitati ipsius unitus sum . Alterum , idemque dexterum , est Amor , qui Divinitati ipsius unitus est , atque per hunc ipsum circumplexor , itaut tecum ad Infernum descendere cogeretur . Optatius autem mihi foret in inferno cum Deo esse , quam vel in cælis sine illo . Ex his igitur magister ille didicit ; veram resignationem cum humilitate profunda , compendiosissimam ad Deum semitam esse . Dehinc iterum ex illo mendico perconctatus est , unde venisset . Cui ille , à Deo se venisse respondit . Cùmque Magister , ubi eum reperisset , sciscitaretur ; ibi , inquit ille , ubi Creaturas omnes deteliqui . Et magister , ubi verò , ait , Deum reliquisti ? Respondit pauper : in mundis cordibus , & hominibus bonæ voluntatis . Et magister , quis nam , ait , es tu ? Respondit ille , se regem esse . Sciscitante magistro , ubi nam esset regnum ipsius ; in anima sua id esse ; respondit . Sic enim , ait , externos , & internos sensus meos regere novi , ut cunctæ affectiones , & vires animæ meæ mihi sub-

ditæ sint. Quod profecto regnum cunctis mundi hujus regnis præstantius esse nullus ambigit. Et rursus magister: quid, inquit, ad hanc te perfectionem perduxit? Respondit pauper; nimirum, silentium meum, sublimes meditationes, & unio cum Deo. In nulla re, quæ Deo minor foret quiescere potui: Jam verò Deum meum inveni, & in ipso pacem, ac quietem habeo sempiternam.

Hucusque Tauleri verba. O divinum verè animum, & sublimioris Philosophiæ tantum studiosum! O mendicum verè divitem, cœlestisque sapientiæ locupletissimum! Quis mihi tribuat, Deus meus, felicissime hujus divitis, quia verè pauperis spiritu, discipulum fieri? Rogo te, dulcis Christe, bone Jesu per omnes miserationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis subvenisti; mollifica cor meum, subiice voluntatem meam, captiva intellectum meum in obsequium unius voluntatis tuæ. Transfige, ac penetra me lancea illa, quæ aperuit latus tuum, unde fluxit sanguis, & aqua in redemptionem animarum nostrarum: Ut amo-

amore amoris tui despiciam me, & glorificem te; amore amoris tui inebrier de voluntate tua, oblitus voluntatis meæ; amore amoris tui moriar; & fiam obediens usque ad mortem crucis, nihilque amplius à Te imposterum petere audeam, non Terram, non Cœlum, non quicquam aliud, quod tu Deus meus non es: sed ut fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in Terra, non solum in me, & de me, sed & in omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis. Ut simus omnes simul in unum consummati; sicut & ego pro me ipso desidero. Hoc unum est necessarium: hoc unum est optimæ partis electio. Ad hoc unum unitas Ecclesiæ Romanæ; cui omnia hæc tamquam filius subiicio; trahat nos; ad hoc unum impellat nos unitas Fidei; ad hoc unum ducat nos unitas Baptismatis: ad hoc unum incitet nos unitas Eucharistie: ad hoc unum alliciat nos unitas Divinitatis tuæ, de quâ dixisti Jesu Melliflue: Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt; & unum erunt per infinita æternitatis sæcula. Amen.

## COROLLARIUM.

**C**uncti Spiritualis Vitæ, Magistri triplicem nobis indigitant Viam, quæ quisque fedulus incedens, feliciter possit Christianæ perfectionis cacumen attingere. Prima, quæ ad alias iter percommode sternit, vulgo dicitur Purgativa; & ejus præcipuus finis est, voluntatem adactus & exercitia, quibus absolutissima puritas animæ possidetur, solidaque ad virtutum ædificium, fundamenta jaciuntur, facile permovere. Hi vero actus complectuntur sui cognitionem & contemptum; timorem divinæ justitiae, spem de Dei misericordia; perfectum peccatorum omnium dolorem & confessionem; castigationem carnis; & appetitionum inordinatarum mortificationem. Secunda vocatur Illuminativa, & est primâ longè nobilior, at præstantior; In ea siquidem Anima fidelis abjectis jam operibus tenebrarum, armisque lucis, juxta monitum Apostoli, gnaviter induita, sicut in die, honeste ambulat; seipsum interim locupletat

lumi-

## CÆLESTIS. 111

lumine divinæ legis, & simul incipit sapere, quæ sursum sunt per vias rerum cœlestium commentationes, & præcipue per cœlestis mysteriorum accuratissimam ruminatem, ejus heroicarum Virtutum imitationi conjunctionem. Inde vero prodeunt affectus intimæ devotionis; lætitiae, & gaudii spirituatis; gratitudinis; compassionis; & gratulationis. Tertia, eaque omnium memoriarum Viarum præcelsissima, nuncupatur Unitiva; quam denique, gratiâ Sancti Spiritus affatim aspirante, assequuntur Viri undeque perfecti; quippe qui corpore in terris degentes, animo in Calis conversationem habent perennem; dumque Deo medullitis adhærent, *Unus cum illo Spiritus fiunt*, totique consummantur in unum. Ad hanc vero sublimiorem perfectorum Classem pertinere censetur admirationis affectus; quæ secundum Divi Bernardi (*lib. 5. de consider. ad fin.*) placitum, gradus quidam est, & introductio ad altissimam Dei contemplationem; & ex ea, tamquam ex primo anulo ejusdem catenæ, varii cohærentes invicem trahuntur affectus; desiderij

derii scilicet supernorum, dilectionis Dei super omnia, amoris Seraphici, seu ignitissimi, complacentiae, aliorumque ejusmodi; quibus animus contemplantis Deo fortiter devinetus in oratione placidissime detinetur. Habitac hujusce triplicis Viæ ratione, placuit huic Anagogiae Cœlestis Libello quasdam, ut ajunt, jaculatorias orationes adjungere, ex Ærario divinæ Paginæ fideliter depromptas; quæ, si identidem magno Spiritu fervore vibrentur in Deum, mentem nostram in ejus amore flagrantius in dies accendent, atque vel variis distentam curis à Dei præsencia nunquam sinent amoveri.



Affe-

### Affectus spectantes ad Viam Purgativam.

#### Contritionis.

**L** Aboravi in gemitu meo: lavabo per singulas noctes lectum meū: lacrymis meis stratum meum rigabo. *Psal. 6.*

Abii in indignatione spiritus mei. *Ezech. 3.*

Delictum meum cognitum Tibi feci: & injustitiam meam non abscondi. *Psal. 31.*

Rugiebam à gemitu cordis mei. *Psal. 37.*  
Tota die contristatus ingrediebar. *Psal. 37.*

Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. *Psal. 50.*

Postquam convertisti me, egi pœnitentiam. *Ierem. 31.*

Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. *Ierem. 31.*

Peccavi & verè deliqui, & ut eram dignus non recepi. *Iob 33.*

Ha-

*Humilitatis.*

Loquar ad Dominum meum, cùm sim  
pulvis & cinis. *Gen.18.*

Vilior fiam plusquam factus sum, &  
ero humilis in oculis meis. *2.Reg.6.*  
Peccavi in Cælum, & coram Tè; jam  
non sum dignus vocati filius tuus.  
*Luc.15.*

Stultissimus sum vitorum, & sapientia  
hominum non est mecum. *Prov.30.*

Humiliare Deo, & expecta manus ejus.  
*Eccli.13.*

Humiliamini in conspectu Domini, &  
exaltabit vos. *Iacob.4.*

*Timoris.*

Confige timore tuo carnes meas: à man-  
datis tuis timui. *Psal.158.*

Timenti Dominum benè erit in extre-  
mis. *Eccli.1.*

Qui timet Dominum nihil trepidabit.  
*Eccli.1.*

Quis non timebit te, ò Rex gentium?  
*Ierem.10.*

De propitiato peccato noli esse sine  
me-

metu. *Eccli.5.*

Omnes viæ hominis patent oculis ejus:  
spirituum ponderator est Dominus,  
*Prov.16.*

Nihil mihi conscientius sum, sed non in  
hoc justificatus sum. *1.Cor.4.*

In timore Domini esto totâ die, quia  
habebis spē in novissimo die. *Prov.23.*

Qui timent te, magni erunt apud te  
per omnia. *Judith.16.*

*Confessionis.*

Non demorieris in errore impiorum:  
ante mortem confitere. *Eccli.17.*

Confiteberis vivens vivus; & sanus  
confiteberis; & gloriaberis in mise-  
rationibus ejus. *Eccli.17.*

Præoccupemus faciem ejus in Confe-  
fione. *Psal.94.*

Confitebor adversum me injustitiam  
meam Domino; & tu remisisti im-  
pietatem peccati mei. *Psal.31.*

*Mortificationis.*

Castigo Corpus meum, & in servitu-  
tem redigo. *1.Cor.9.*

Sem-

116 ANAGOGIA

Semper mortificationem Jesu in corpo-  
re meo circumferam . 1.Cor.4.

Propter te mortificamur tota die; æsti-  
mati sumus sicut oves occisionis .  
*Psal.43.*

Mortificatus quidem carne, vivificatus  
autem spiritu . 1.Pet.3.

Mortui estis , & vita vestra abscondita  
est cum Christo in Deo . *Coloss.2.*

Fiducia .

Bonum est confidere in Domino, quam  
confidere in homine . *Psal.107.*

Benedictus vir qui confidit in Domi-  
no , & erit Dominus fiducia ejus .  
*Ierem.17.*

Qui confidit in illo, non minorabitur .  
*Eccli.32.*

Ego in misericordia tua speravi: exulta-  
bit cor meum in salutari tuo .  
*Psal.12.*

Qui confidunt in illo , intelligent ve-  
ritatem , & fideles in dilectione ac-  
quiescent illi . *Sap.3.*

Bonus Dominus , & confortans in die  
tribulationis , & sciens sperantes in  
se . *Nahum.1.*

Qui

CÆLESTIS : 117

Qui sperant in Domino, mutabunt for-  
titudinem ; assument pennas sicut  
aquilæ ; volabunt & non deficient ;  
*Isa.40.*

Affectus spectantes ad  
Viam Illuminativam.

Gratitudinis .

Q uid retribuam Domino pro o-  
mnibus quæ retribuit mihi ?  
*Psal. 115.*

Orationi instate ; vigilantes in ea in  
gratiarum actione . *Coloss. 4.*

Gratias agere debemus semper Deo .  
*2.Tim.*

Avaritia nec nominetur in vobis, sicut  
decet sanctos, sed magis gratiarum  
actio . *Eph. 5.*

Benedic anima mea Domino , & noli  
oblivisci omnes retributiones ejus .  
*Psal. 102.*

Venite , audite , & narrabo, omnes qui  
timetis Deum , quanta fecit Deus  
animæ meæ . *Psal. 65.*

Lati-

*Lætitiae, & gaudii spiritualis.*

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo. *Habac. 3.*  
Renuit consolari anima mea; memor Iusti Dei, & delectatus sum. *Psal. 76.*  
Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete. *Phil. 4.*

Gaudium Domini est fortitudo nostra.

2. *Esdr. 8.*

Justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. *Psal. 67.*

*Zeli.*

Zelus Domus tuæ comedit me; & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. *Psal. 68.*

Zelatus sum Sion zelo magno. *Zach. 8.*

Tabescere me fecit zelus meus, quia oblitæ sunt verba tua inimici mei. *Psal. 118.*

Zelo zelatus sum pro Domino. 3. *Reg. 19.*

Com-

*Compassionis.*

Emarcuit cor meum; tenebrae stupefecerunt me: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. *Isa. 21.*  
Amare flebo: nolite incumbere, ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei. *Isa. 22.*

Quis infirmatur, & ego non infirmor?

2. *Cor. 11.*

Vidi prævaricantes, & tabesccebam. *Psal. 118.*

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. *Psal. 118.*

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. *Tbr. 1.*

Recordare paupertatis, & transgressionis meæ; absynthii, & fellis. *Tbr. 3.*

Christo passo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini. 1. *Petr. 4.*

Affec-

Affectus spectantes ad  
Viam Unitivam.

*Charitatis in Deum.*

**S**i dederit homo oīnūm substantiam domus tuā pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. *Cant. 8.*  
Qui manet in charitate, in Deo manet,  
& Deus in eo. *I. Ioan. 4.*

**D**iligam te, Domine, fortitudo mea,  
Dominus firmamentum meum, &  
refugium meum, & liberator meus.  
*Psal. 17.*

Fortis est, ut mors, dilectio; dura  
sicut Infernus æmulatio. *Cant. 8.*

Fulcite me floribus, stipate me malis;  
quia amore langueo. *Cant. 2.*

Si quis non amat Dominus nostrum  
Jesum Christum, anathema sit.  
*Hebr. 16.*

Deus cordis mei, & pars mea Deus in  
æternum. *Psal. 72.*

Charitas Dei diffusa est in cordibus no-  
stris per Spiritum Sanctum qui da-  
tus est nobis. *Rom. 5.*

*Desiderii.*

*Desiderii.*

Quemadmodum desiderat Cervus ad  
fontes aquarum, ita desiderat anima  
mea ad te Deus. *Psal. 41.*  
Sitivit anima mea ad Deum fortē vi-  
vum, quando veniam, & apparebo  
ante faciem Dei. *Ibid.*

Et nunc quæ est expectatio mea, non  
ne Dominus? & substantia mea apud  
te est. *Psal. 38.*

Defecit in salutare tuum anima mea;  
& in verbum tuum supersperavi.  
*Psal. 118.*

Cupio dissolvi, & esse cum Christo.  
Expandi manus meas ad te; anima mea,  
sicut terra fint aqua, tibi. *Psal. 142.*  
Num quem diligit anima mea vidistis?  
*Cant.*

Quam dilecta tabernacula tua, Domine  
virtutum: concupiscit, & deficit  
anima mea in atria Domini. *Psal. 83.*

*Exultationis.*

Exultavit spiritus meus in Deo salutari  
meo. *Luc.*

*Cor*

Cor meum , & caro mea exultaverunt  
in Deum vivum . *Psal. 83.*

Anima mea exultabit in Domino , &  
delectabitur super salutari tuo . *Psal.*

34.

Exultent , & lætentur super te omnes  
quærentes te ; & dicant semper , ma-  
gnificetur Dominus , qui diligunt  
salutare tuum . *Psal. 39.*

### *Admirationis.*

Domine , Dominus noster , quâm admi-  
rabile est nomen tuum in universâ  
terra ! *Psal. 8.*

Quis Deus magnus , sicut Deus noster ?  
*Psal. 76.*

Quis sicut Dominus Deus noster , qui  
in altis habitat , & humilia respicit  
in Cœlo , & in terra ? *Psal. 112.*

Quoniam magnus es tu , & faciens mi-  
rabilia tu es Deus solus . *Psal. 83.*

Domine Deus meus , magnificatus es  
vehementer . *Psal. 83.*

Qualis est hic : qnia venti & mare obe-  
diunt ei ? *Matth. 8.*

Con-

### *Contemplationis.*

Donec aspiret dies , & inclinentur um-  
bræ , vadam ad montem myrræ , &  
ad collem thuris . *Cant. 4.*

Quis dabit mihi pennas sicut columbae ;  
& volabo , & requiescam . *Psal. 54.*

Veni , columba mea , in foraminibus  
petræ , in caverna maceria : osten-  
de mihi faciem tuam . *Cant. 2.*

In nidulo meo moriar , & sicut palma  
multiplicabo dies . *Iob 29.*

Montes excelsi cervis , petra refugium  
herinacis . *Psal. 103.*

Quæ est ista quæ ascendit de deserto ,  
deliciis affluens , innixa super dile-  
ctum suum ? *Cant. 8.*

Nos , revelatâ facie , gloriam Domini  
speculantes , in eamdem imaginem  
transformamur à claritate in clarita-  
tem , tamquam à Domini spiritu .  
*2. Cor. 3.*

Ascendam in palmam , & apprehendam  
fructus ejus . *Cant. 7.*

F I N I S.



